GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

L 548

H. LENNERZ S. I.

SEX THESES
DE ORDINE ET MATRIMONIO

(AD USUM AUDITORUM)

ALMA COLLEGE
236.6
LIBRARY
L 548
Alma, California

ALMA COLLEGE
ROMAE
LIBRARY
GREGORIANA
Alma, California

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
VIA DEL SEMINARIO, 120
1928

14992

TIBURE. — Ex Typographia Mantero.

INDEX

DE ORDINE

Pag.

THESIS 1: Ordo est verum novae legis sacramentum 6

THESIS 2: Sacerdctium et diaconatus sacramento conferuntur; reliquae autem ordinationes non videntur esse sacramentales . . 9

THESIS 3: Sola impositio manuum cum invocatione Spiritus Sancti est ritus essentialis ordinationis sacramentalis 25

DE MATRIMONIO

THESIS 1: Matrimonium christianum est vere et proprie novae legis sacramentum 38

THESIS 2: Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem; quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum 48

THESIS 3: Sacramentum matrimonii efficit vinculum inter virum et mulierem intrinsecus plane indissolubile 53

THESES DE SACRAMENTO ORDINIS.

1. Christus ecclesiam suam ita instituit, ut sit organice ordinata, ut in illa sint varii gradus et status superiorum et inferiorum. Inter illos, qui divinis ministeriis mancipati sunt, i. e. « clericos », sacra est hierarchia, in qua alii aliis subordinantur. « Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere. Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione » (Cod. iur. can., 108; 109).

In sequentibus thesibus agitur solum de hierarchia ratione ordinis.

2. « Est ordo, si propriam eius vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptatae sunt, ut una ad alteram referatur » (Catech. rom., p. 2, c. 7, n. 9). Hinc facile intelligitur, varios gradus status clericalis vocari « ordines ». Tandem non solum ipse gradus, sed etiam collatio gradus per ritum externum vocatur ordo sive ordinatio.

3. Varii erant et sunt in ecclesia ordines, sed non semper idem erat numerus [1].

In s. Scriptura nominantur episcopi-presbyteri, diaconi. *Subdiaconatus* primo occurrit in epistula Cornelii papae ad Fabium episcopum Antiochenum (251), in qua enumerantur: episcopus, presbyteri 46, diaconi 7, subdiaconi 7, acolythi 42, exorcistae et lectores cum ostiariis 52, viduae cum thlibomenis plus 1500 (Denz. 49). Item subdiaconi nominantur in epistolis Cypriani (8; 9; 29; 35; 36; 45; 47; 78); ex quo apparet, subdiaconatum medio saeculo 3 in ecclesia occidentali esse rem omnino notam. (Cf. Concil. Eliberitanum, 300, can. 30; Msi 2, 10).

In ecclesia orientali sermo est de subdiaconis in s. Athanasii Historia Arianorum ad monachos n. 60 (MPG., 25, 766), in concilio antiocheno (341), can. 10, ubi de chorepiscopis dicitur, ne audeant ordinare (manus imponere) presbyterum vel diaconum, sed ordinent (statuant) « lectores et subdiaconos atque

---

[1] *Morinus*, De sacris ordinationibus, p. III, exerc. 11-14. *Harnack*, Die Quellen der sogenannten apostolischen Kirchenordnung, nebst einer Untersuchung über den Ursprung des Lectorats und der anderen niederen Weihen (Texte und Untersuchungen II, 5), Leipzig 1886. *Fr. Wieland*, Die genetische Entwicklung der sogenannten ordines minores in den drei ersten Jahrhunderten (Römische Quartalschrift, Supplementheft) 1897. *De Ghellinck*, Le traité de Pierre Lombard sur les sept ordres ecclesiastiques, ses sources, ses copistes; Revue d'histoire eccl. 10 (1909) 290-302; 720-728; 11 (1910) 28-46. *M. Andrieu*, Les ordres mineurs dans l'ancien rit romain; Revue des sc. relig., 5 (1925), 232-274.

De mulieribus « clericis » et « diaconissis »: *Morinus*, l. c., exerc. 10. *Many*, Praelectiones de sacra ordinatione; Paris 1905, p. 176 ss., qui multos alios indicat. *Schäfer*, Die Kanonissenstifter im deutschen Mittelalter, Stuttgart 1907, pag. 46 ss.; Kanonissen und Diakonissen, Römische Quartalschrift 24 (1910), 49-80 (ordinatio diaconissarum pertinebat ad ordines maiores). *Ludwig*, Weibliche Kleriker in der altchristlichen und frühmittelalterlichen Kirche, München 1910; Theolog.=praktische Monatsschrift 21 (1911), 141-149 (pertinebat ad ordines minores). *Gillmann*, Weibliche Kleriker nach dem Urteil der Frühscholastik; Archiv für kath. Kirchenrecht 93 (1913) 239-253. *Kalsbach*, Die alte kirchl. Einrichtung der Diakonissen bis zu ihrem Erlöschen, Freiburg 1926.

exorcistas, quibus promotiones istae sufficiant » (Msi 2, 1312, 1323; Kirch, Enchiridion, n. 494); concilium laodicenum (inter 343-381) can. 20, 21, 22, 24, 25 eosdem habet sub nomine ministri, ὑπηρέτης (Msi 2, 367); canones Apostolorum (collecti ca. 400), can. 69 : episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector, cantor (Funk, 1, 584; Kirch, nr. 702); constitutiones apostolorum l. 8, c. 28, n. 2 : episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector, cantor, diaconissa (Funk 1, 530; R. 1236).

Cum a saeculo 12 subdiaconatus in ecclesia latina conumeretur cum ordinibus sacris vel maioribus, in ecclesia orientali mansit ordo minor.

4. *Acolythi* inveniuntur 251 Romae (epistula Cornelii papae) eodemque tempore in ecclesia Africana (Cyprianus ep. 7, 34, 45, 49, 52, 59, 78). Statuta ecclesiae antiqua (saec. 5) Denz. 154; in ecclesia orientali non habentur.

5. *Exorcistae* : primum testimonium fortasse apud Origenem (In Iesu Nave, homil. 24, n. 1; MPG, 12, 940), certo apud Cornelium papam; pro Asia minore Firmilianus (ad Cyprianum, ep. 23, ed. Hartel 2, 536); concilium Antiochenum; Laodicenum can. 24, 26; Eusebius, hist. eccl., 8, 6, 9 (MPG, 20, 756; Kirch, 449); statuta ecclesiae antiqua (Denz. 155). In constitutionibus apostolorum vero (l. 8, c. 28) exorcista dicitur non ordinandus : « qui enim accepit charisma seu donum sanationum, per revelationem a Deo declaratur, cunctisque manifesta est gratia, quae est in ipso ». A saeculo 5 in ecclesia orientali disparet.

6. *Lectores* : Iustinus (apol. 1, cap. 67; MPG, 6, 429; Kirch, nr. 56) loquitur de lectore in conventu eucharistico; Tertullianus (de praescr. haeret. 41; MPL, 2, 56; R. 300); sed non numerabantur inter clericos ante saec. 3 medium; immo postea adhuc interdum laici erant lectores (Cyprianus, ep. 29; Hartel 547; s. Augustinus, ep. 64, n. 3; MPL, 33, 234). Inter clericos recensentur a Cornelio papa; in statutis ecclesiae antiquis, can. 8 (Denz. 156). Apud orientales ab initio saeculi 4 inter cle-

ricos numerantur (Concil. Antiochenum, can. 10; Laodicenum, can. 24; canones apostolorum; constitutiones apostolorum).

7. *Ostiarii* : Cornelius papa; statuta ecclesiae antiqua, can. 9 (Denz. 157); conc. Laodicenum, can. 24. In oriente primis 3 saeculis non pertinent ad clerum; sed conc. Laodicenum, can. 21 eos numerat inter clericos; constitutiones apostolorum, l. 8, c. 11, portarum custodiam diaconis et subdiaconis tribuunt; in concilio Quinisexto (Trullano II, 692) can. 4 adhuc occurrunt; postea apud omnes orientales disparent, exceptis armenis unitis.

8. *Cantor, Psalmista* : canones apostolorum, can. 42; concilium Laodicenum, can. 24; constitutiones apostolorum, 8, 12, 43; 8, 13, 14; Funk, 1, 512; 516; Kirch, 685, 688) ordines cantorum et lectorum distinguunt, quod frequentissimum erat in ecclesia orientali, rarum vero in latina, ut in conc. Carthag. III (anno 397) can. 21; statuta ecclesiae antiqua, can. 10 (Denz. 158).

Fossarii, copiatae : Ps. Ignatius ad Antiochenos 12, 2 (Funk, II, 171), Epiphanius, Expositio fidei n. 21 (MPG, 42, 826); Hieronymus ep. ad Innoc. I (MPL, 22, 330).

9. Post saec. 7 in ecclesia orientali numerantur 6 ordines, episcopatus, presbyteratus et diaconatus; subdiaconatus, cantoratus, lectoratus.

In ecclesia latina scholastici 7, 8 vel 9 ordines numerant, prout episcopatus et presbyteratus ut distincti ordines vel non distincti recensentur et psalmista additur vel omittitur. Scholastici qui Petrum Lombardum sequuntur, enumerant septem, plures canonistae enumerant novem (1). In concilio Tridentino (s. 23, cap. 2; Denz. 958) septem enumerantur : sacerdotes, diaconi, subdiaconi; acolythi, exorcistae, lectores, ostiarii. Cod. iur.

---

(1) *Gillmann*, Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakraments; Paderborn 1920, 9. 40. 80. 83. 85. 94.

can. vero can. 108 : sacra hierarchia ratione ordinis constat episcopis, presbyteris, ministris, quibus ex ecclesiae institutione alii gradus accessere; can. 950 : in iure verba ordinare, ordo, sacra ordinatio comprehendunt consecrationem episcopalem, ordines maiores (presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum), minores (acolythatum, exorcistatum, lectoratum, ostiariatum), et ipsam primam tonsuram.

10. Catholicam doctrinam de sacramento ordinis imprimis impugnabant *novatores saeculi 16. Lutherus* : « Hoc sacramentum ecclesia Christi ignorat inventumque est ab ecclesia papae; non enim solum nullam habet promissionem gratiae ullibi positam, sed ne verbo quidem eius meminit novum testamentum. Ridiculum est autem asserere pro sacramento Dei, quod a Deo institutum numquam potest demonstrari. Non quod damnandum censeam eum ritum per tanta saecula celebratum, sed quod in rebus sacris nolim humana commenta fingi nec liceat adstruere aliquod divinitus ordinatum, quod divinitus ordinatum non est ne ridiculi simus adversario » (De capt. babyl., § De ordine; cf. de sacramentis in genere, nr. 10, 20); *Melanchthon* non repugnat, si appellatio sacramenti tribuatur ordini (de sacr. in gen., nr. 12); *Zwingli* ordinem non agnovit verum sacramentum (de sacr. in gen., nr. 15); *Calvin* proprie duo sacramenta agnoscit (de sacr in gen., nr. 17); sed « impositionem manuum, qua ecclesiae ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari sacramentum, ita inter ordinaria sacramenta non numero » (Instit., l. 4, c. 14, n. 20).

11. Hinc contra eos *concilium Tridentinum* veram statuit doctrinam, sess. 23. Articuli de sacramento ordinis theologis examinandi propositi, sunt sequentes :

« Art. 1. Ordinem non esse sacramentum, sed ritum quendam eligendi et constituendi ministros verbi et sacramentorum.

Art. 2. Ordinem non solum non esse sacramentum, sed potius figmentum humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis.

Art. 3. Ordinem non esse unum sacramentum, nec infimos et medios ordines velut gradus quosdam tendere in sacerdotii ordinem.

Art. 4. Nullam esse ecclesiasticam hierarchiam, sed omnes christianos ex aequo esse sacerdotes, et ad usum seu exsecutionem opus esse vocatione magistratus et consensu populi, et qui sacerdos semel fit, eum laicum rursus posse fieri.

Art. 5. Non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, neque potestatem aliquam spiritualem, sive ad consecrandum corpus et sanguinem Domini, sive ad offerendum, sive ad absolvendum coram Deo a peccatis; sed officium tantum et magisterum praedicandi evangelium, et eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes.

Art. 6. Unctionem non solum non requiri in ordinum traditione, sed esse perniciosam et contemnendam, similiter et omnes alias caeremonias, et per ordinationem non conferri Spiritum Sanctum; proinde impertinenter episcopos, cum ordinant, dicere: Accipite Spiritum Sanctum.

Art. 7. Episcopos non esse presbyteris superiores neque habere ius ordinandi, aut, si habent, id illis esse commune cum presbyteris, ordinationesque ab ipsis factas sine plebis consensu irritas esse » ([1]).

Thesis 1: Ordo est verum novae legis sacramentum.

Petrus Lombardus, l. 4, d. 24; *S. Thomas*, in 4, d. 24, q. 1; *Bellarminus*, De sacramento ordinis, c. 2; *Billuart*, Cursus theologiae, p. 3, tractatus de sacramento ordinis, diss. 1, a. 1; *Drouven*, De re sacramentaria, l. 8, p. 1, q. 1; *Sasse*, Institutiones theologicae de sacramentis ecclesiae, II, 292 ss.; *Palmieri*, Tractatus de Romano Pontifice, ed. 3, p. 70 ss.; *Billot*, De ecclesiae sacramentis, II, thes. 28; *Pesch*, Praelectiones dogmaticae VII, prop. 42.

([1]) Concil. Tridentinum, tom. 9, actorum pars 6 (ed. St. Ehses) Friburgi 1924, pag. 5; varias deinde formulas doctrinae et canonum vide p. 38 ss.; 105 ss.; 226 ss.; textum definitum pag. 620 ss.

12. *Sacramentum* sensu stricto est signum sensibile a Christo institutum, efficax ex opere operato eius gratiae, quam significat. Si ergo ordo dicitur sacramentum, patet « *ordinem* » intelligi pro ipso signo sensibili, quo « ordo », i. e. gradus status clericalis, confertur. Haec bene notanda sunt, ne confusio oriatur ex eo, quod character quoque possit vocari « ordo » et « sacramentum ». Ordo ergo in hac thesi idem quod ordinatio.

In hac thesi affirmatur in genere, existere ordinationem sacramentalem; nondum quaeritur, num omnes gradus status clericalis sint « sacramentales », i. e. sacramentali ordinatione, sacramento conferantur.

Adversantur thesi aliqui ex novatoribus saec. 16 (supra n. 10).

Documenta Ecclesiae.

13. *Concilium Tridentinum*, s. 23, cap. 3: « Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae sacramentis. Inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis » 2 Tim., 1, 6. 7 (Denz. 959). Can. 3 et 4 (Denz. 963 s.); can. de sacramentis in genere 1 (Denz. 844). *Conc. Florent.*, Decr. pro Armenis, Denz. 695; 701; *Conc. Lugdunense II*, Prof. fidei Mich. Pal. Denz. 465. Cf. sent. damn. modernistarum decreto « *Lamentabili* », prop. 49, 50 (Denz. 2049 s.).

S. Scriptura.

14. Ipsum concilium Tridentinum textum s. Scripturae indicavit, (2 Tim., 1, 6. 7) et quid in argumento ostendendum sit, scl. quod ibi habeatur signum conferens gratiam.

Signum externum habetur : impositio manuum; eius effectus : charisma, quod non est (tantum) gratia gratis data, sed quo continentur gratiae status propriae ministerio pastorali, uti ex v. 7 ss. apparet; sunt dotes imprimis necessariae episcopis, impavida libertas et fortitudo, caritas in Deum et proximum. Tale autem charisma permanens includit vel supponit gratiam gratum facientem.

Plura de hac ordinatione 1 Tim. 4, 14; cf. Act. 14, 22; 1 Tim. 5, 22 (1).

Patres.

15. *S. Basilius*, epistula 188 (canonica 1) can. 1 : « Qui ab ecclesia se separaverant, non habebant amplius in se gratiam Spiritus Sancti; defecerat enim communicatio, interrupta continuatione. Qui enim primi recesserant, ordinationem (cheirotoniam) a patribus habebant, et per manuum eorum impositionem habebant donum spirituale; qui autem resecti sunt, laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi (χειροτονεῖν) habebant potestatem, ut qui non possent amplius Spiritus Sancti gratiam aliis praebere, a qua ipsi exciderant » (MPG., 32, 668; R. 919).

S. Chrysostomus, in Actus apost., homil. 14, n. 3 : « Vide quam non superflue scriptor (Act. 6, 6) loquatur; non enim dicit quomodo, sed simpliciter quod ordinati sint per orationem; hoc enim est ordinatio (χειροτονια); manus viri superponitur, totum vero Deus operatur, eiusque manus est quae tangit caput ordinandi, si quemadmodum oportet ordinetur » (MPG., 60, 116; R. 1214; cf. De sacerdotio, l. 3, n. 4, MPG., 48, 642; in 2 Tim., homil. 1 et 2, MPG., 62, 603; de resurrectione mortuorum, nr. 8, MPG., 50, 432).

---

(1) *Knabenbauer*, in Act. 13, 3; 14, 22; in 1 Tim. 4, 14; 5, 22; 2 Tim. 1, 6 ss.; *Jacquier*, in Act. 13, 3; 14, 22; *Galtier*, Dict. de théol. cath., VII, 1306 ss.; *Coppens*, L'imposition des mains, Wetteren-Paris 1925, p. 124-136.

16. *S. Hieronymus,* Dialogus contra Luciferianos, 11 : « Si in fide sua (haeretica) baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit » (MPL., 23, 166; R. 1360).

S. Augustinus, Contra epistulam Parmeniani, l. 2, c. 13, n. 28 : « Utrumque (baptismus et ordo) sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, bono pacis correcto schismatis errore, suscepti sunt, etiamsi visum est opus esse ut eadem officia gererent quae gerebant, non sunt rursus ordinati, sed sicut baptismus in iis, ita ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis, quae ubicumque sunt ipsa sunt » (MPL., 43, 70; R. 1617).

S. Gregorius Magnus, in 1 Reg., l. 4, c. 5, n. 23 : « Sacrorum ordinum sacramenta ab ecclesiae doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est Spiritus septiformis. Quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur, quia, quos gratia sua Spiritus Sanctus roborat, eos facit esse protinus, quod non erant » (MPL., 79, 299).

Theologos in hac re convenire patet ex dictis in tract. de sacramentis in genere, thes. 1.

Thesis 2 : Sacerdotium et diaconatus sacramento conferuntur ; reliquae autem ordinationes non videntur esse sacramentales.

17. Priore thesi in genere ostensum est ordinem esse sacramentum; sunt autem plures ordines; hinc quaeritur, utrum omnes ordines sint sacramenta an aliqui tantum, i. e. utrum omnes ordines an aliqui tantum conferantur signo ex opere operato efficaci gratiae, a Christo instituto.

18. *Theologorum sententiae*: *Ordines minores* sacramento conferri, saltem ut probabiliorem sententiam, defendebant multi scholastici saec. 13: Bonaventura, Albertus Magnus, Thomas, Scotus; postea Bellarminus, Gregorius de Valentia, Wirceburgenses, Gonet, Gotti, Billuart; nostris temporibus de Augustinis, Billot, Hugon; non sacramento conferri praeter Gratianum et plures canonistas Durandus; Dominicus Soto, Vasquez, Morinus, Drouven, Benedictus XIV, S. Alphonsus; maxime post inquisitiones Morini haec sententia communior facta est.

Subdiaconatum sacramento conferri praeter eos, qui minores quoque sacramentales habent, Vasquez; negant vero iidem, qui de minoribus negant. *Diaconatum* esse sacramentalem semper theologi affirmabant, paucis exceptis, ut Durando et Caietano. *De presbyteratu* una semper sententia, esse scl. ordinem sacramentalem. *Episcopatum* esse ordinem sacramentalem distinctum a presbyteratu communis erat canonistarum sententia; ex theologis scholasticis ita sentiebant Guilelmus Altissiodorensis, Guilelmus Parisiensis non se opponit huic sententiae, Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel Biel, Caietanus, Bellarminus, Petrus Soto, Medina, Vazquez, et evasit sententa hodie communior; negant multi ex veteribus scholasticis, Albertus, Thomas, Bonaventura; non videtur antiqua illa forma sententiae negantis hodie adhuc proponi.

Thesis prima parte agit de « sacerdotio », secunda de diaconatu, tertia de reliquis ordinibus. In prima parte primo sermo est de « sacerdotio », deinde speciatim de « presbyteratu » et de « episcopatu ».

I. Pars: De sacerdotio.

S. Thomas, in 4, d. 24, q. 3, a. 2, qc. 2; *Bellarminus*, c. 5; *Billuart*, diss. 4; *Drouven*, l. 8, p. 2, sect .6; *Sasse*, 296; 299 ss.; *Palmieri*, p. 86 ss.; *Billot*, thes. 31; *Pesch*. prop. 46; 47.

Furtner, Das Verhältnis der Bischofsweihe zum heiligen Sakrament des Ordo. München 1861; *A. Kurz*, Der Episkopat, der höchste vom Presbyterate verschiedene Ordo. Wien 1877.

19. In s. Scriptura iidem vocantur et episcopi et presbyteri; s. Ignatius vero presbyteros tamquam episcopis inferiores distinguit, quae distinctio abhinc invenitur (cf. *Dieckmann*, De Ecclesia, I, 423 ss.). Nomen sacerdotis episcopis et presbyteris in s. Scriptura non tribuitur; invenitur autem apud Tertullianum et deinde frequenter adhibetur, tum pro episcopis tum pro presbyteris, interdum cum addito « primi ordinis » pro episcopis, « secundi ordinis » (vel similibus) pro presbyteris (cf. Du Cange, s. v. sacerdos); postea vero saepe sacerdos intelligitur presbyter, non autem exclusive; conc. trid., sess. 23 non distinguit episcopos a sacerdotibus, sed a presbyteris.

20. In thesi intelligimus sacerdotium ita ut hac voce nondum determinetur, sitne praecise presbyteratus, episcopatus an uterque. Sic intellectum de fide est, sacerdotium conferri sacramento; argumenta autem sunt eadem, quae in prima thesi.

21. Ulterius autem quaerendo speciatim de episcopatu et presbyteratu, dicendum est, de fide esse *ordinationem presbyterorum* sive sacerdotum secundi ordinis esse sacramentalem.

1. Secundum concilium Tridentinum in *sacramento* ordinis imprimitur character, hinc *sacerdotes* non habent temporariam tantummodo potestatem (s. 23, c. 4; can. 4; Denz. 960; 964). Sacerdotes autem secundum concilium sunt illi qui habent potestatem consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Christi, nec non et peccata dimittendi et retinendi (c. 1; can. 1; Denz. 957; 961); haec autem sunt propria praecise sacerdotibus secundi ordinis, i. e. presbyteris. Sacerdotes ergo, quibus in sacramento ordinis character imprimitur, sine dubio proxime et immediate sunt presbyteri; aliis verbis : ordo qui est sacramentalis, imprimis est ordo presbyteratus.

2. Haec quoque est constans semper doctrina, apud Patres et apud theologos, neque umquam de sacramentalitate presbyteratus erat dubium vel controversia.

22. De *episcopatus* sacramentalitate quid theologi senserint vel sentiant, supra nr. 18 indicatum est. Distinguendae videntur variae quaestiones. Non agitur de quaestione, num episcopi iure divino sint distincti a presbyteris iisque superiores in regimine ecclesiae (hoc pertinet ad tractatum de constitutione ecclesiae), sed 1) num sint distincti et superiores iure divino ratione ordinis, et num hic ordo sacramentali ritu conferatur; 2) utrum sint adaequate distincti, necne; 3) utrum inter se sint independentes.

23. 1) Episcopatum autem ratione ordinis divina ordinatione a presbyteratu esse distinctum continetur in conc. Trid., s. 23, can. 6 : « Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s. » (Denz. 966); ibi enim agitur de hierarchia ratione ordinis (hierarchia ratione iurisdictionis divina ordinatione constat pontificatu supremo et episcopatu subordinato, non episcopis, presbyteris, ministris).

C. I. C. can. 108, § 3 « Ex divina institutione sacra hierarchia ordinis constat episcopis, presbyteris et ministris », quibus verbis communem et indubitatam doctrinam exprimit.

Si autum episcopatus ratione ordinis distinctus est a presbyratu, iam patet, non presbyteratum esse superiorem episcopatu, sed e converso, quod ex ipso etiam ordine enumerandi apparet.

24. Episcopatum autem sacramento conferri, ita forte probari potest :

Ordinatio sacerdotum secundi ordinis, qua illis Spiritus Sanctus et potestas sacerdotalis iure divino inamissibilis confertur, est sacramentum (uti antea probatum est); atqui ordinatione sacerdotum primi ordinis, qui sunt institutionis divinae, similiter Spiritus Sanctus confertur et potestas sacerdotalis iure divino inamissibilis; ergo haec quoque ordinatio dicenda est sacramentalis, nisi speciales rationes obstent, atqui non obstant; ergo ordinatio sacerdotum primi ordinis sive episcoporum est sacramentum.

Ad primam minorem: ordinatione episcoporum conferri Spiritum Sanctum in ipso ritu ordinationis exprimitur; praeterea traditionalis est doctrina, in episcopis esse plenitudinem Spiritus Sancti. Potestas autem sacerdotalis, quae illis confertur, est potestas confirmandi et ordinandi (Epiphanius, Adv. haeres. 75, 8; MPG., 42, 508; R. 1108; Chrysostomus in ep. ad Phil., hom. 1, n. 1; MPG., 62, 183; R. 1205; Constit. Apostolorum, l. 8, c. 28, n. 2 ss.; R. 1236; Hieronymus epist. 146; MPL., 22, 1192; R. 1357). Hanc autem potestatem iure divino esse inamissibilem, ex eo apparet, quod ecclesia ordinationes ab episcopis excommunicatis, degradatis factas omnino agnoscit validas neque sibi tribuit facultatem, hanc illis potestatem auferendi.

Ad secundam minorem: Ratio enim quae imprimis afferri solebat, quod scl. ordinatio episcopi non tribuat novam potestatem circa eucharistiam, et propterea non sit sacramentalis, neque imprimat characterem, supponit, non esse ordinem sacramentalem, neque imprimi characterem, nisi nova potestas circa eucharistiam conferatur. Hoc vero suppositum, in quo tota vis huius rationis continetur, nullo modo probatur, neque videtur probari posse.

Uti supra iam dictum est (nr. 18) communior omnino sententia est, ordinationem episcopalem esse sacramentalem.

25. 2) Si autem quaeritur de distinctione inter presbyteratum et episcopatum, diversae sunt sententiae. Alii (Billuart, De ordine, tract. 4, art. 2, ubi plures alii nominantur; Billot, De eccl. sacramentis, ed. 4, II, 305) negant esse ordines adaequate distinctos, consequenter negant ordinatione episcopali dari characterem, sed characterem presbyteralem dicunt ampliari, ad conferendam scl. confirmationem et ordinem. Ratio quaedam principalis videtur esse, quod plures quam septem essent ordines, si episcopatus esset ordo distinctus a presbyteratu. Sed cum enumeratio ordinum vario modo fieri possit et fiat, neque de hac re constans et firma habeatur sententia, tali ratione vix quidquam probari potest. Alii (Bellarminus. de sacram. ordinis, l. 1,

c. 5; Sasse, de sacramentis, II, 301 s; et communiter ab antiquis temporibus canonistae, cf. Wernz, Ius decret., II, nr. 23) affirmant distinctionem presbyteratus et episcopatus, et per ordinationem episcopalem novum et diversum a presbyterali imprimi characterem. Et haec sententia videtur praeferenda. Nam 1. ratione ordinis hierarchia constat episcopis, presbyteris, ministris; ubi presbyteri apparent distincti a ministris sicut ab episcopis; 2. ordinatione episcopali vera tribuitur nova potestas ordinis, quae in potestate ordinatione presbyterali collata non continetur; 3. episcopatus confertur ritu proprio, a ritu collationis presbyteratus simili modo distinctus, uti ritus quo confertur diaconatus. Hinc eadem videtur assignanda distinctio inter episcopatum et presbyteratum, quae est inter diaconatum et presbyteratum.

Quod autem episcopatus et presbyteratus constituant integrum sacerdotium et sub nomine sacerdotii simul comprehendantur, huic distinctioni non obstat, sicuti distinctioni singulorum ordinum non obstat, quod constituunt unum « ordinem » et sub uno nomine ordinis simul comprehenduntur.

Sed minor distinctio inter episcopatum et presbyteratum in eo videtur apparere, quod episcopatus necessario presbyteratum supponit. Et de quaestione dependentiae illorum ordinum iam agendum est.

26. 3) Solutio huius quaestionis vero iterum aliquo modo ab altera pendet, utrum scl. ordo episcopalis non solum formaliter comprehendat potestatem ordinandi et confirmandi, sed etiam eminenter potestatem presbyteralem; nam si ita est, posset quis valide ordinari episcopus, quin praecesserit ordinatio presbyteralis, et haberet potestatem et presbyteri et episcopi; et sic eadem haberetur independentia inter episcopatum et presbyteratum, quae est inter presbyteratum et diaconatum. Dicunt enim multi (Mabillon, Martène et alii, quos videas apud Many, de sacra ordinatione pag. 16 ss., qui argumenta principalia proponit; cf. Lehmkuhl, apud Sasse, II, 333 ss.) « Romae per plura saecula diaconos consecratos fuisse episcopos, omissa ordina-

tione presbyterali »; ipse Many iudicat non esse facile demonstrare factum illud historicum esse falsum; alii autem ita explicant ut in istis relationibus historici terminum ultimum tantum ad quem ordinandus pervenerit diserte significare voluerint (Palmieri, de Romano Pontifice, pag. 89). Gasparri, I, n. 26, ut probabilem admittit sententiam, in episcopatu eminenter contineri presbyteratum, ab aliis vero negatur (Wernz, Ius decret., II, 23).

27. Inter hos negantes vero aliqui perfectam statuerunt independentiam inter episcopatum et presbyteratum, ita ut non presbyter valide ordinari possit episcopus, qui deinde admittere debent, talem episcopum posse quidem confirmare, ordinare, non autem valide missam celebrare, ex qua consequentia iam apparet, hanc sententiam non esse admittendam. Hinc communius dicitur, episcopalem ordinationem valide non conferri nisi presbytero, episcopatum ergo et presbyteratum, quamvis sint ordines distincti, tamen non esse independentes. Inde tamen inferri non potest, istos ordines non esse distinctos. Nam episcopus, cum sit summus sacerdos, potestatem habere debet consecrandi et offerendi; quae cum ordinatione episcopali non conferatur, antea iam collata esse debet, id quod fit ordinatione presbyterali, quae ob hanc rationem praecedere debet ordinationem episcopalem. Est enim presbyteratus unicus ordo, in quo confertur potestas valide ponendi actiones, quae sine hac potestate valide poni nequeunt; hinc facile intelligitur, quod presbyteratus necessario praerequiratur, non autem reliqui ordines. Si autem ita est, ex hac « dependentia » episcopatus a presbyteratu nihil sequitur contra realem eorum distinctionem.

28. Contra doctrinam de sacerdotio speciali, quod ordinatione conferatur, obici solet, quod omnes Christiani sint sacerdotes, secundum 1 Petr. 2, 9; Apoc. 1, 6.

Resp. Charactere baptismali omnes Christiani configurantur Christo sacerdoti (cf. de sacram. in genere; munus characteris), et debent in altari mentis suae spirituales Deo hostias immolare, quo in genere bonae omnes et honestae actiones, quas ad Dei

gloriam referunt, numerandae sunt (Catech. Rom., p. 2, c. 7, n. 23). Ab hoc vero sacerdotio interno distinguendum est sacerdotium externum, quod solum rite ordinatis convenit.

29. Contra superioritatem episcopatus supra presbyteratum interdum afferuntur verba s. Hieronymi (epist. 146; MPL., 22, 1192; R. 1357; alia vide apud Pesch, I, 361), quibus eam negare videtur. Sed s. Hieronymus non loquitur de potestate ordinis, sed de potestate iurisdictionis tantum, et ita res non pertinet ad praesentem tractatum, sed a tractatum de ecclesia (vide, quidnam dicendum sit apud Pesch l. c. et auctores ibi citatos); hinc neque ad nostram quaestionem spectant sententiae damnatae Denz. 498; 675.

II. Pars: De diaconatu.

Bellarminus, c. 6; *Billuart*, diss. 1, a. 3, § 1; *Drouven*, l. 8, p. 2, sect. 4; *Sasse*, 298 s.; *Palmieri*, 91 ss.; *Billot*, thes. 29; *Pesch*, prop. 45; *I. N. Seidl*, Der Diakonat in der katholischen Kirche, dessen hieratische Würde und geschichtliche Entwicklung. Regensburg 1884; *J. Forget*, Dict. de théol. cath., s. v. Diacres, IV, 720 s.; 724 ss.

30. Diaconatum sacramento conferri a paucis solum negabatur, estque sententia hodie, ut videtur, omnino communis.

Esse autem sacramentum inde ostenditur, quod ordo diaconatus est divinae institutionis et quod ordinatione diaconi gratia confertur.

Diaconatum esse divinae institutionis est sententia omnino communis, quam exhibet C. I. C. can. 108, § 3 distinguens episcopos, presbyteros, ministros, qui sint divinae institutionis a gradibus qui ex ecclesiae institutione accessere; similiter conc. Trid. s. 23, can. 6 (Denz. 966); a temporibus apostolorum conumerantur cum episcopis (presbyteris); Phil. 1, 1; 1 Tim. 3, 1. 8; Didache 15, 1 (R. 9); Clem. Rom. 42, 1 (R. 20); Ignatius ad Trall. 3, 1 (R. 49); ubi additur: « sine his (episcopis, presbyteris, diaconis) ecclesia non vocaur »; ad Smyrn. 8, 1 (R. 65);

sic omnibus temporibus, in omnibus ecclesiis, sine mutatione inveniuntur cum episcopis, presbyteris etiam diaconi, neque umquam apparet ecclesiam circa existentiam diaconatus sibi tribuere potestatem, sicuti nec de episcopatu et presbyteratu, quae omnia videntur indicare, non agi de institutione humana; cf. etiam, quomodo diaconi cum episcopis, presbyteris distinguantur ab aliis ordinibus in Statutis Ecclesiae antiquis (Denz. 150 ss.) et ab Urbano II (Denz. 356).

Ordinatione autem diaconatus gratiam conferri habetur ex conc. Trid. s. 23, can. 4 (Denz. 964); in hac enim ordinatione dicit episcopus: « Accipe Spiritum Sanctum »; ergo per istam ordinationem datur Spiritus Sanctus.

31. Act. 6, 1 ss. (1) narratur institutio septemvirorum. Utrum illi septem sint « diaconi » ex verbis s. Scripturae solis determinari non potest; praevalens vero sententia in explicatione huius textus a primis temporibus est, fuisse diaconos; ita Stephanus habetur diaconus; propterea septem diaconi primis saeculis habebantur in ecclesia Romana (supra nr. 3) et aliis ecclesiis Concil. Neocaesariense (inter 314 et 325) can. 15 (Msi 2, 543; Kirch, 390). In ipso quoque textu s. Scripturae plura continentur, quae hanc explicationem suadeant. Quamvis enim proxime servire debeant mensis, i. e. distribuere eleemosynas, tamen ad alia quoque « ministeria » adhibebantur, uti ex historia Stephani et Philippi apparet; idemque videtur sequi ex qualitatibus, quae in his hominibus requiruntur (Act. 6, 3; cf. 1 Tim. 3, 8. 9. 12. 13); improbabile quoque est, ita narrari institutionem hominum ad munus quoddam temporarium, et quod illorum nomina referantur; hoc vero bene intelligitur, si de munere permanente, quod ad ecclesiasticam hierarchiam pertinet, sermo est. Ita iure textus intelligitur cum traditione de ordinatione diaconorum. Sed utrum hi septem fuerint primi diaconi simpliciter, an

(1) Cf. *Knabenbauer; Jacquier* in h. l.; *Stephanus Bihel O. F. M.*, De septem diaconis (Act. 6, 1-7); Antonianum 3 (1928), 129-150.

primi diaconi hellenistae, ita ut iam antea fuerint diaconi hebraei (uti cum aliis putant Knabenbauer, Belser, Michiels, Pesch), disputatur.

III. Pars : De reliquis ordinibus.

Bellarminus, c. 7 et 8; *Billuart*, diss. 1, a. 3, § 2; *Drouven*, l. 8, p. 2, sect. 2 et 3; *Sasse*, p. 302 ss.; *Palmieri*, p. 96 s.; *Billot*, p. 282 ss.; *Pesch*, prop. 63; 64; *Th. Specht*, Sind die niederen Weihen und der Subdiaconat sakramental? Theol.-prakt. Monatsschrift 1893, 233 ss.; 339 ss.; 398 ss.; *J. Roberkof*, Le sous-diaconat est-il un sacrement? Revue August., 1909, II, 86 ss.

32. Quaeritur, utrum subdiaconatus et ordines minores sacramento conferantur. In hac re subdiaconatus simul cum ordinibus minoribus considerari potest, cum rationes pro et contra sint fere eaedem, quamvis subdiaconatus nunc in ecclesia latina habeatur ordo maior. Initio in ecclesia quoque latina pertinebat ad ordines minores, sicuti hodie adhuc in ecclesiis orientalibus. Alexander II (1061-1073) aliqua ratione iam subdiaconatum habuisse videtur ordinem sacrum : « Erubescant impii et aperte intelligant iudicio Spiritus sancti eos, qui in tribus sacris gradibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu positi, mulierculas non abiecerint et caste non vixerint, excludendos ab eorundem graduum dignitate » ([1]). Urbanus II vero subdiaconatum non habuit ordinem maiorem; nam in concilio Beneventano (1091) canon 1 dicit : « Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse; super his solum praeceptum habemus apostoli. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime, si tamen spectatae sint religionis et scientiae. Quod et ipsum sine

([1]) C. 11 D. 32. Friedberg 1, 120.

Romani pontificis vel metropolitani licentia non fiat» (1). Circa medium saeculum 12. Hugo a S. Victore (de sacramentis l. 2. p. 3, c. 13; MPL 176, 430) loquendo de iis qui episcopi eligi possunt, verba conc. Beneventani fere repetit; similiter Petrus Lombardus (Sent. lib. 4, d. 24): « Cumque omnes spirituales sint et sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet et presbyteratus; quia hos solos primitiva ecclesia legitur habuisse, et de his solis praeceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus episcopos et presbyteros ordinaverunt; levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus; subdiaconos vero et acolythos procedente tempore ecclesia sibi constituit» (2). Versus finem vero saeculi 12. Petrus Cantor (Verbum abbreviatum, c. 60; MPL., 205, 184): « Prima autem manus impositio debetur diaconibus ordinandis. De novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem ». Innocentius III (1207): « A multis multotiens, an subdiaconus in episcopum eligi valeat, haesitatur ». Deinde citatis verbis Urbani II et Alexandri II (sub nomine Urbani) pergit: « et ad similitudinem diaconi et presbyteri subdiaconus debet continentiam observare sicut est in sexta synodo constitutum, ut, si quis eorum, qui ad clerum accedunt, nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante subdiaconatus ordinem faciat; et beatus Gregorius statuisse legitur, ut nullum facere subdiaconum praesumant episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit. Nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus, ut subdiaconus in episcopum valeat libere eligi sicut diaconus vel sacerdos» (3). Idem eodem anno (sed non est eius haec decretalis epistola): « De subdiaconali (tamen) ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis expresse, videtur nobis, quod et is cum diaconali gradu privilegio gaudet eodem (i. e. ius quod

---

(1) Msi 2, 738.

(2) Haec ultima ex Gratiano, in princip. dist. 21. Friedberg I, 67.

(3) Cap. 9, X, de aetate, I, 14. Friedberg 2, 128 s.

est de servo facto diacono, etiam de subdiacono debet intelligi). Nam licet sacer ordo non reputaretur in ecclesia primitiva, tamen a constitutione Gregorii atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur » (1). Et exinde in latina ecclesia subdiaconatus habetur ordo maior, ordo sacer. Ex dictis patet, relate ad sacramentalitatem ritus quo subdiaconatus confertur, nihil inferri posse ex eius evolutione ex ordine minore ad maiorem. Quod subdiaconus eligi potuerit episcopus, fundatur in eo, quod cum subdiaconatu coniuncta est obligatio continentiae, non vero in aliqua « sacramentalitate » ritus, sicuti nec contra sacramentalitatem diaconatus est, quod nunc soli presbyteri idonei habentur, qui assumantur in episcopum (C. Iur. Can., can. 331, § 1). Possunt ergo, quod ad sacramentalitatem ritus attinet, subdiaconatus et ordines minores simul considerari.

Sententias theologorum de hac re vide nr. 18.

33. *Rationes eorum, qui sacramentalitatem affirmant* :

1) *Decretum pro Armenis,* quod dicit, sextum sacramentum esse ordinis, cuius materia sit illud per cuius traditionem ordo confertur; deinde ut exempla affert presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum, et addit « et similiter de aliis ». Ergo subdiaconatus et alii ordines pertinent ad sacramentum.

Ad hoc dici potest : Decretum non explicite agit neque loquitur de sacramentalitate singulorum ordinum; sed videtur concedendum, in decreto supponi sacramentalitatem subdiaconatus et aliorum ordinum. De indole vero huius decreti eiusque valore non constat, et sunt diversae sententiae. Aptius autem haec quaestio refertur ad sequentem thesim, ubi agitur de re, quam decretum explicite tractat. Ibi videbimus, auctoritatem huius decreti non esse talem, ut hac auctoritate sententia affirmans probari possit.

---

(1) Cap. 7, X, de servis non ordinandis, I, 7. Fried. 2, 143.

34. 2) « *Conc. Trid.*, sess. 23, can. 2, definit praeter sacerdotium esse in Ecclesia alios ordines et maiores et minores; deinde can. 3 nulla restrictione adhibita statuit ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum, et can. 6 declarat in ecclesia hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, in qua definitione nomine ministri omnes reliqui ordines, quos sacra Synodus cap. 2 distincte recensuit intelligi videntur. Ergo Patres praeter sacerdotium et diaconatum ceteris quoque ordinibus rationem veri sacramenti tribuere videntur » (Sasse, pag. 305; ita antea iam de Augustinis, De re sacramentaria 4, 480; similiter Billot, pag. 283).

Error protestantium, qui can. 3 damnatur, est praecise circa ordines inferiores diaconatu; illos enim et traditiones variorum instrumentorum protestantes tractant ut « figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis » (Galtier, Dict. de théol , 7, 1419; quem sequitur Hugon, Revue thomiste, 29, 1924, 488 s.).

Tandem haec erat sententia theologorum concilii, uno excepto; in sequentibus vero congregationibus generalibus, de hac re non iam videtur fuisse dubium (Galtier, ibid.; Hugon, ibid.).

35. Ad haec dicendum : (1)

1) Ex theologis concilii 33 non loquuntur de nostra quaestione; 11 explicite defendebant sacramentalitatem, sed aliqui ita ut explicite agnoscant, alios aliter de hac re sentire, unus explicite negavit.

2) Inter Patres aliqui putabant omnes ordines esse a Christo, alii subdiaconatum et minores esse institutionis ecclesiasticae, alii hanc quaestionem pertinere ad opiniones, hinc de illa non esse decidendum. Consequenter in formulis propositis omnia ea supprimebantur vel mutabantur, unde possit innui videri, illos or-

---

(1) *M. Quera*, El concilio de Trento y los Ordenes inferiores al Diaconado. Estudios eclesiasticos 4 (1925) 337-358.

dines esse divinae institutionis; et in cap. 2 illa verba mutabantur, quibus subdiaconatus et ordines minores possent videri nimium accedere ad diaconatum, quia quaestio disputabilis erat, num illi ordines sint resolutio quaedam diaconatus, an solum nova quaedam institutio ecclesiastica.

3) Protestantes vero imprimis impugnabant doctrinam catholicam de speciali sacerdotio ab ipso Christo instituto; cum illis non agebatur de ordinibus minoribus.

36. Ex his apparet, quaestionem nostram non solum a concilio non esse determinatam, quod ab omnibus theologis hodie conceditur, sed concilium, secundum morem suum, non voluisse tangere diversas istas sententias et proinde verba sua ita elegisse ut neque huic neque illi sententiae magis faveant. Hinc ex mente concilii verba eius ita intelligi *debent*, ut quaestio de sacramentalitate ordinum, in quantum est inter theologos catholicos disputata, maneat intacta. Si quis ergo verbis concilii sensum tribuit, vel doctrinam concilii eo sensu interpretatur, qui uni ex sententiis controversis magis faveat, verba et doctrinam concilii non iam eo sensu intelligit, quo ipsum concilium intellexit, et si ex doctrina sic intellecta pro sua sententia argumentatur, argumentatio non nititur auctoritate concilii; ad hoc non satis attendisse videtur Hugon, Revue thomiste, 31 (1926) 265 s.

37. *Rationes sententiae negantis*:

1) Materia essentialis sacramenti ordinis est impositio manuum; atqui haec in subdiaconatu et ordinibus minoribus non habetur; ergo non sunt ordines sacramentales.

Ad hoc dicendum: talis argumentatio certo non potest adhiberi, priusquam probatum sit, impositionem manuum esse materiam essentialem omnium ordinationum, quae sunt sacramentales; quomodo autem hoc probari possit, quin supponatur, ordinationes quae sunt sine impositione manuum non esse sacramentales, difficile intelligitur.

38. Ministeria illorum ordinum videntur tam exigua, ut non sit probabile, ad ea obeunda sacramentales ordinationes divinitus esse institutas.

Dicendum, aliquam probabilitatem huic rationi non esse negandam; attamen considerandum, agi de ordinationibus divinis liberis; difficile autem videtur probare, Deum non potuisse rem ita instituere.

39. 3. Hi ordines et ordinationes non sunt institutionis divinae sed ecclesiasticae, ergo non possunt esse sacramentales.

Secundum ea quae nr. 3 ss. dicta sunt, primum testimonium certum de eorum exsistentia habetur ex saeculo 3; si vero a Christo essent instituti, non intelligitur, cur antea de iis numquam sit sermo, e contra solum illi tres reliqui ordines commemorentur; praeterea eorum numerus mutabatur, maxime apud orientales, qui tandem duos ex iis solum, subdiaconatum et lectoratum retinebant, quae quidem de rebus institutionis ecclesiasticae facile explicantur, non vero de institutionibus divinis. Si hi ordines ut vere sacramentales et conferentes characterem et gratiam sacramentalem a Christo instituti essent, dicendum quoque esset Christum voluisse, ut illa ministeria subeunda essent ab hominibus sacramentali ritu ad hoc deputatis et charactere ordinis insignitis. Quomodo ergo ecclesia per multa saecula usque ad nostra tempora permittit, ut non solum hinc inde per modum exceptionis, sed quasi ordinarie et ubique laici ad haec ministeria adhibeantur, ita ut hodie potius sit exceptio, si clerici his muneribus fungantur? Ubi ex. gr. munus ostiarii habet « ostiarius ordinatus »?

Ita quoque explicite docuerunt inter alios Gratianus, Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, Urbanus II (supra n. 32); hodie communius ita docetur.

40. *Contra hoc dicitur* « omnes ordines inferiores semper fuisse implicitos in supremo ordine ministrorum, id est in diaconatu; caeterum relictum fuisse dispositioni Ecclesiae ut decerneret explicitam eorum collationem in parte vel in toto, prout expedire videretur » (Billot, p. 283).

Sed unde scitur, ordines inferiores semper implicitos fuisse in diaconatu? Et estne hoc verum, ex. gr. eratne exorcistatus tamquam speciale ministerium umquam implicitus in diaconatu? Et unde constat de potestate illa ecclesiae? Hoc forte dici posset, si aliunde aliqua certitudine probatum esset, ecclesiam de facto ita egisse, sed quamdiu de tali facto controvertitur, haec potestas ecclesiae positive ascribi nequit. Praeterea hoc responso non tangeretur ratio supra inducta ex eo quod ecclesia permittat laicos fungi his ministeriis.

41. Posset quis dicere : sed ne de diaconatu quidem divina institutio probari potest; fortasse institutus est ab apostolis, et est institutio mere humana.

Respondendum, ex s. Scriptura quidem vix decidi posse hanc quaestionem; sed ex aliis rationibus eius institutionem divinam probavimus (supra nr. 30); si eaedem vel aequivalentes rationes pro subdiaconatu et ordinibus minoribus afferuntur, ad eorum quoque institutionem divinam concludendum est.

42. Inter rationes pro et contra allatas omnino praevalens apparet ultima, quod scl. subdiaconatus et ordines minores non sint institutionis divinae sed ecclesiasticae; et hinc dicendum, eos non esse sacramentales, non conferre gratiam sacramentalem neque imprimere characterem indelebilem in anima. Sed datur in his ordinationibus gratia, ut fit per sacramentalia; et ex ordinatione ecclesiae non sunt iterandi, sicuti nec iteratur consecratio abbatis vel abbatissae.

Sacramentalia ergo sunt sacerdotium (episcopatus et presbyteratus) et diaconatus. Non autem sunt tria sacramenta ordinis, sed sacramentum ordinis est unum totum. « Distinctio ordinum non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius, et ita est hic » (S. Thom., in 4, d. 24, q. 2, a. 1, qc. 1 ad 2); cf. tract. de sacr. in gen., nr. 77.

Thesis 3: Sola impositio manuum cum invocatione Spiritus Sancti est ritus essentialis ordinationis sacramentalis.

Petrus Lombardus, l. 4, d. 24; *s. Thomas,* in 4, d. 24, q. 1, a. 1, qc. 4 et 5; *Bellarminus,* c. 9; *Billuart,* diss. 2; *Drouven,* l. 8, p. 2, sect. 4, nr. 4 et 5; sect. 5, nr. 1-5; sect. 6, nr. 8 et 9; *Sasse,* p. 307 ss.; *Palmieri,* p. 97-102; *Billot,* thes. 30; *Pesch,* prop. 48.

Gutberlet, Der sakramentale Ritus der Priesterweihe. Zeitschrift für kath. Theologie 25 (1901) 621-631. *Van Rossum,* De essentia sacramenti ordinis; Friburgi 1914. *De Guibert,* Le décret du concile de Florence pour les Arméniens, sa valeur dogmatique. Bulletin de littérature ecclesiastique 10 (1919) 81-95; 150-162; 195-215. *Galtier,* Dict. de Théol. cath., 7, 1408-1424. *Gillmann,* Spender und äusseres Zeichen der Bischofsweihe nach Huguccio. Würzburg 1922. *Hanssens,* La forme sacramentelle dans les ordinations sacerdotales de rit grec. Gregorianum 5 (1924), 208-277; 6 (1925) 41-80. *Hugon,* Etudes recentes sur le sacrement de l'Ordre. Revue thomiste 29 (1924) 481-487. *Quera,* El decreto de Eugenio IV para los armenos y el sacramento del Orden. Estudios eclesiasticos 4 (1925) 138-153; 237-250. *Hugon,* Autour du sacrement de l'Ordre. Revue thomiste 31 (1926) 263 ss. *Quera,* Más acerca del decreto de Eug. IV para los armenos y el sacramento del Orden. Estud. ecles. 6 (1927) 54-78; 151-170. *Pasté,* De « forma » ordinationis in ritu byzantino graeco. Ephemerides liturgicae 41 (1927) 511-518. *Battifol,* La liturgie du sacre des évêques dans son évolution historique. Revue d'hist. eccl. 23 (1927) 733-763.

43 Postquam de sacramentalitate ordinum dictum est, iam de materia et forma ritus eorum ordinum quaeritur, qui vere sunt sacramentales. Plures enim occurrunt in ordinationibus caeremoniae, quae de se possent esse materia et forma ritus; ex. gr. in ordinatione presbyteri habetur impositio manuum, deinde consecratio vel unctio manuum, traditio patenae cum hostia et calicis cum vino, impositio manuum. Istae caeremoniae ab initio non omnes aderant neque nunc in tota ecclesia sunt in usu.

44. Primis saeculis ordo sacramentalis conferebatur *impositione manuum*, cum oratione correspondente ordini, et quidem impositio manuum solius episcopi, si ad ministerium ordinabatur; impositio manuum episcopi et presbyterorum, si ad presbyteratum, et impositio manuum trium episcoporum, si ad epi-

scopatum ordinabatur. In sacramentario Gregoriano (versus finem saec. 6) impositionem manuum sequitur *unctio manuum* presbyteri, unctio capitis episcopi (MPL., 78, 223 s.); eadem iam videtur adesse in sacramentario Gelasiano (versus finem saec. 5; MPL., 74, 1148); oratio quoque, quae in sacramentario Gregoriano cum unctione capitis episcopi coniungitur, in sacramentario Gelasiano habetur (MPL., 74, 1150), et in sacramentario Leoniano (medio saec. 5; MPL., 55, 114), in quo tamen de ipso ritu unctionis sermo non est, sicuti generatim ibi solum habentur orationes, non ipsae actiones.

45. *Traditio instrumentorum* videtur accessisse saeculo 10. Primo occurrit in codice saec. 10, qui ab Italo compositus est et ordinem non proprie Romanum, sed alicuius ecclesiae dioecesi Romanae vicinae exhibet. Ibi in ordinatione presbyteri post impositionem manuum, et unctionem manuum traduntur patena cum oblatis et calix cum vino, sub verbis : Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missamque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini (Van Rossum 126 s.). Eodem saeculo in Pontificali ecclesiae Noviomensis habetur in ordinatione diaconi traditio libri Evangeliorum post impositionem manuum, et in ordinatione presbyteri post impositionem manuum et unctionem traditio patenae et calicis; cum quo « concordat vetustus ordo Romanus Vallicellanus » ex saec. 10. In duobus codicibus Bellovacensibus (alter ex fine saec. 10, alter ex fine saec. 11) in ipso textu non habetur traditio instrumentorum, sed in margine, alia manu, adiecta erat. Pontificale ecclesiae Bisuntinae (saec. 12) et codex Canonicorum regularium S. Victoris (s. 12) habent traditionem instrumentorum in presbyteratu, non in diaconatu; Pontificale Salisburgense (saec. 12), Pontificale S. Cornelii Compendiensis, ad usum ecclesiae Suessionensis (saec. 12), Pontificale ecclesiae Cameracensis (sac. 13), Apamiensis (probabiliter saec. 13), codex ecclesiae Moguntinensis (saec. 12) traditionem instrumentorum in ordinatione diaconi et presbyteri habent. Ita paulatim hic usus extendebatur (Van Rossum, 128 ss.). « Ex his tuto concludendum videtur, saeculo 10

incoeptum esse introduci caeremoniam traditionis panis ac vini in ordinatione sacerdotali ac paulatim propagatam saeculo 12 iam quasi universalem fuisse in Occidente. ... Apparet insuper ritum paulatim introductum esse, et ab una ad aliam ecclesiam sensim sine sensu migrasse, ad quod significantia ipsa caeremoniae non parum contulerit » (Van Rossum, 136) (1).

46. *Ultima manuum impositio* cum verbis « Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata... », sec. Van Rossum, 145, primo occurrit in Pontificali Rhemensi (saec. 12), sed immediate sequitur traditionem instrumentorum; similiter Pontificale Barense (s. 13), Arelatense (s. 14), Silvanectense (s. 15), Rothomagense (s. 16). « Pontificale collegii de Fuxo apud Tolosates, quod est saeculi 13, ipsam quidem caeremoniam impositionis manus cum verbis Accipe Spiritum Sanctum etc. non praescribit; dicit tamen in consuetudine esse quarumdam ecclesiarum, non vero Romanae, ut in prima impositione manuum, quae fit in silentio, verba Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis etc. pronuntietur a sacerdotibus assistentibus » (Van Rossum, 145). In Pontificali vero Senonensi (s. 13), Rothomagensi, Mettensi et Noviomensi (s. 14), Andegavensi et Parisiensi (s. 15) habetur eo loco, quo nunc in Pontificali Romano.

47. Impositio manus cum verbis « Accipe Spiritum Sanctum ad robur » etc. in ordinatione *diaconi* post saeculum 12 orta, paulatim sparsa, saeculo 14 universaliter videtur recepta fuisse (Van Rossum, 152 s.). Formula vero « Accipe Spiritum Sanctum » in ordinatione *episcopi* vix in ullo Pontificali s. 14 invenitur (p. 153 s.).

---

(1) Vestigia prima traditionis libri evangeliorum in ordinatione diaconi « inveniuntur in aliquibus Pontificalibus Anglicanis », a saeculo 8 usque 13; sed antecedit ipsam impositionem manuum; forma est: accipe istud volumen Evangelii et lege et intellige et aliis trade et tu opere adimple (Van Rossum 147).

48. In *ecclesia orientali* secundum Benedictum XIV distingui solet ritus graecus, armenus, syriacus, copticus.

In *ritu graeco* ab initio usque ad nostra tempora ordinatio fit sola manuum impositione cum oratione; non habetur traditio instrumentorum neque manus impositio cum formula : Accipe Spiritum Sanctum (Van Rossum, 97-100).

In *ritu armeno* habetur impositio manuum, apud presbyterum et episcopum unctio, traditio instrumentorum; non habetur in ordinatione episcopi et presbyteri impositio manuum cum formula : Accipe Spiritum Sanctum. Traditio instrumentorum, antea ignota, introducta fuit saeculo 12 (100-108).

In *ritu syriaco Iacobitae* habent impositionem manuum cum oratione; *Maronitae* praeter impositiones manuum habent unctionem presbyteri et episcopi; apud *Nestorianos* post impositionem manus diacono traditur liber Apostoli et presbytero liber Evangelii, sed sine forma (108-111).

In *ritu coptico* ordinatio diaconi, presbyteri, episcopi sola manus impositione et orationibus peragitur, sine traditione instrumentorum, sine impositione manus cum verbis : Accipe Spiritum Sanctum (111-113).

49. Ex dictis apparet, in ecclesia orientali (excipiendo Armenos) ab initio usque ad nostra tempora, apud Armenos saltem usque ad 12. saeculum et in ecclesia occidentali saltem usque ad saeculum 10. solam impositionem manuum cum oratione fuisse ritum proprium ordinationis sacramentalis. Et ita quoque est apud Patres, theologos, in conciliis, ubi ante saec. 10 sermo est de impositione manuum, non vero de traditione instrumentorum neque de impositione manuum cum forma : Accipe Spiritum Sanctum.

50. Postquam variae caeremoniae ad impositionem manuum accesserunt, variae quoque poterant oriri sententiae, quidnam ex illis sit essentiale, quid solum de solemnitate. Saeculo autem 10. et 11. scriptores solam exhibent impositionem manuum, saeculo 12 alii solam impositionem manuum, alii unctionem, alii

traditionem instrumentorum (Van Rossum, 137 ss.; qui quod ad unctionem attinet complendus est secundum *Gillmann*, Spender und äusseres Zeichen der Bischofsweihe nach Huguccio. Würzburg 1922, 11-15).

51. Pro saeculis 13-20 Van Rossum 6 distinguit sententias : *Prima sententia* : unicus essentialis ritus ordinationis sacerdotalis est traditio instrumentorum. Ita iam aliqui saeculo 12, eorum numerus crescit usque ad saeculum 17, ubi Van Rossum indicat 34, deinde decrescit, ut saeculo 19. unum solum invenerit, qui eam defendebat. « Nostra aetate (ita Van Rossum, p. 14) a nullo amplius propugnatur vel etiam simpliciter asseritur »; quod tamen non iam est verum, cum hodie hanc sententiam asserat P. Hugon. Haec erat sententia S. Thomae.

Secunda sententia : sicut sacerdotium habet potestatem unam in corpus Christi verum, alteram in corpus Christi mysticum, ita quoque duo sunt ritus quibus haec potestas confertur, traditio instrumentorum et ultima impositio manuum, cum verbis : Accipe Spiritum Sanctum. Haec sententia (Scoti) a saeculo 14. crescit usque ad saeculum 17, ubi Van Rossum indicat 74, deinde decrescit, saeculo 19 adhuc 4, saeculo 20. nullus.

Tertia sententia : ritus essentiales sunt prima impositio manus cum invocatione Spiritus Sancti et traditio instrumentorum cum formula : Accipe potestatem offerendi etc. Pro hac sententia, quae primo occurrit saec. 18, Van Rossum indicat 6 saeculo 18, 4 saeculo 19, 3 saeculo 20, scl. Tanquerey, Billot, Noldin.

Quarta sententia : Prima manuum impositio et oratio cum traditione instrumentorum et verbis : Accipe potestatem offerendi sunt essentiales ritus quibus datur potestas in Christi corpus verum; ultima impositio manus cum verbis Accipe Spiritum Sanctum etc. est altera pars essentialis, qua confertur potestas in Christi corpus mysticum. Orta est saec. 17 (de Lugo) et paucos defensores habebat saeculo 18 et 19.

Quinta sententia : tota essentia ritus invenitur tum in impositione manuum cum adiuncta oratione, tum in traditione in-

strumentorum cum verbis : Accipe potestatem etc., ita ut alterutro ritu sacramentum valide administretur. Sic aliqui saeculo 17 et 18.

Sexta sententia : sola prima manuum impositio cum oratione episcopi est ritus essentialis. Haec sententia a primis temporibus aderat, deinde saeculo 10-12 ut supra dictum est; saeculo 13 adhuc a maiore numero theologorum defendebatur, saeculo 14 et 15 vero a paucissimis propugnatur, saeculo 16 iterum valde crescit et ex eo tempore semper crevit, et de nostra aetate Van Rossum dicit : « Vix ullus superest, qui hanc sententiam non sequatur » (p. 56).

52. Hodie omnes theologi concedunt ritum, qui ab initio aderat, primam manuum impositionem esse, reliqua postea ab ecclesia esse adiecta. De sententia secunda, quarta, quinta non iam solet disputari; neque de quaestione, utrum unctio sit ritus essentialis. *Quaeritur ergo*, utrum sola manuum impositio cum invocatione Spiritus Sancti sit essentia ritus, an simul cum traditione instrumentorum, an impositio manuum mutata sit in ritum accidentalem et eius loco nunc sit sola traditio instrumentorum.

Cum omnes hodie concedant, per multa saecula solam impositionem manuum fuisse ritum essentialem, et ab initio usque ad nostra tempora apud orientales, paucis exceptis, ita permansisse, *solum quaeritur,* utrum pro ecclesia occidentali (et Armenis) facta sit immutatio. Ad hoc ergo in argumentatione attendendum, utrum sufficientes sint rationes dicendi talem mutationem ritus pro aliqua parte ecclesiae factam esse.

53. Qui huismodi mutationem admittit, eo ipso admittit hoc sacramentum a Christo « in genere » vel « in specie mutabili » institutum esse, i. e. de ritu huius sacramenti Christus tantum determinavit, ut assumatur res significans, constans materia et forma, quae natura sua sit apta significare traditionem potestatis spiritualis et collationem Spiritus Sancti, vel ita impositionem manuum determinasse, ut tamen ecclesiae liberum sit, addere

ritum alium essentialem. In tractatu de sacramentis in genere probavimus (thes. 11) ex eo quod ecclesia substantiam sacramentorum mutare non possit, nihil posse inferri de modo quo Christus ritum sacramentorum determinaverit, possibilem esse tum institutionem in genere tum in specie. Ex hac ergo parte mutationes supra dictas concedimus esse *possibiles*, quatenus earum impossibilitas ex defectu potentiae ecclesiae substantiam sacramentorum mutandi non probatur, et hoc videtur valere etiam si agatur de mutatione tantum pro aliqua parte ecclesiae. Sed, ut patet, huiusmodi possibilitas non sufficit ad affirmandum mutationes illas factas esse; debent ergo afferri argumenta, quae ostendant de facto ecclesiam ritum essentialem mutasse. Immo ne hoc quidem sufficit, sed etiam et maxime probari debet mutationem illam hodie adhuc permanere. Nam si ecclesia potestatem habet huiusmodi mutationes in ritu sacramentorum inducere, illa potestate uti potest sicuti saeculo 1 et 2, et saeculo 15, ita et saeculo 18 et 19 et 20; et sicuti transire potuit ab impositione manuum ad traditionem instrumentorum, ita a traditione instrumentorum de novo transire potest ad impositionem manuum vel alium ritum, qui natura sua aptus est ad significationem requisitam. Neque quidquam in hac re mutaretur etiamsi huiusmodi mutationes firmatae essent solemni decreto concilii oecumenici; nam cum in tali supposito non ageretur de veritate immutabili, sed de re voluntati ecclesiae subiectae et secundum eius voluntatem mutabili, maneret in ecclesia potestas ulterioris mutationis.

54. Potestne factum istius mutationis probari?

1) *Ex ipso ritu,* qui nunc viget in ecclesia occidentali, cognosci non potest, quaenam inter multas caeremonias, de se aptas, sint ritus essentiales; maxime cum illa manuum impositio cum oratione, quae ab initio erat ritus essentialis et nunc adhuc in magna parte ecclesiae est ritus essentialis, omnino retenta sit. Ex eo autem, quod post hanc impositionem manuum adhuc vocetur « ordinandus » et non « ordinatus », nihil sequitur; nam post traditionem quoque instrumentorum in ordinatione unius presbyteri vocatur « ordinandus», et in eadem rubrica etiam « ordi-

natus »; et episcopus vocatur consecratus iam ante traditionem libri evangeliorum.

2) *Explicatio theologorum* ostendit, quomodo in ecclesia varii ritus concipiantur et quis ex illis effectum habeat ex opere operato. Si ita, dicendum est : ergo sola prima impositio manuum cum oratione est ritus essentialis; nam ex saeculo 13 pro nullo ritu talis erat consensus theologorum, qualis pro sola impositione manuum habetur saec. 19 et 20.

3) *Praxis Congregationis* in dubiis de valore ordinationis nullam admittit conclusionem, cum de industria non tangens quaestionem secundum illud procedat, quod magis tutum sit.

55. 4) *Concilium Florentinum* in decreto pro Armenis dicit : « Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem... Forma sacerdotii talis est : Accipe potestatem offerendi etc. » (Denz. 701); ubi clare neque impositio manuum, neque impositio manuum cum traditione instrumentorum, sed sola traditio instrumentorum assignatur materia sacramenti; et haec erat quoque tempore concilii sententia paululum praevalens apud theologos et erat sententia s. Thomae, ex cuius opusculo « De articulis fidei et ecclesiae sacramentis » haec pars decreti pro Armenis desumpta est, in pluribus tamen adaptata ad specialem finem. Non vero tempore concilii inter theologos erat sententia, quae primam impositionem manuum cum traditione instrumentorum pro ritu essentiali habebat, sed defendebatur a pluribus, traditionem instrumentorum et *ultimam* impositionem manus cum oratione : Accipe Spiritum Sanctum esse ritum essentialem; pauci vero illo tempore asserebant solam primam impositionem manuum cum oratione esse ritum essentialem.

56. De hoc decreto pro Armenis plurimum disputatur. Negabatur esse vere decretum ipsius concilii, sed hodie generatim conceditur; praeterea in eo videtur nunc consensus, partem de sacramentis non esse definitionem proprie dictam. Non autem

conveniunt de indole huius partis, sitne mere disciplinaris an proprie doctrinalis. Cum acta de efformatione huius partis non habeantur, difficile est iudicare.

Sed supponamus, esse instructionem doctrinalem, quam concilium Armenis tradere voluit de re practica, de sacramentis. Iam quaeritur: Voluitne concilium omnibus assertis, quae in hac instructione continentur, specialem auctoritatem concilii tribuere, ita ut in illis auctoritativum, licet non infallibile, iudicium doctrinale concilii haberetur, an voluit solummodo in usum Armenorum componere id quod generatim de hac re theologi docebant, ita ut singula asserta eam indolem eandemque auctoritatem retinerent, quam antea iam habebant (alia de fide, alia certa, alia praevalens sententia theologorum, etc.). Si prius, consequenter assumendum videtur, illo tempore solam traditionem instrumentorum cum sua forma ritum essentialem ordinationis fuisse; si alterum, sequeretur ut concilium in hac parte instructionis suae sententiam tunc apud theologos praevalentem (non vero communem) reddidisset, et sic ne hoc quidem cum aliqua certitudine dici posset, illo tempore traditionem instrumentorum de facto ritum essentialem fuisse. Quaenam fuerit intentio concilii, vix cum certitudine dici potest. Attamen prior suppositio non valde probabilis apparet consideranti, sententiam quae dicit, solam traditionem instrumentorum esse ritum essentialem, nullo modo tempore concilii fuisse communem neque unicam; hinc prior suppositio vix admittenda videtur, nisi solide probetur.

Ex dictis autem consequitur, ut certum argumentum saeculo 15 impositionem primam manuum cum invocatione Spiritus Sancti non iam fuisse ritum essentialem, sed solam traditionem instrumentorum, interim non haberi; pro ipso saeculo 15 dici debet: res non liquet.

57. Sed, etsi supponeretur, decreto pro Armenis in hac parte manifestari voluntatem ecclesiae, quod non iam impositio manuum sed sola traditio instrumentorum sit ritus essentialis ordinationis, adhuc quaerendum remaneret, utrum ecclesia in hac

voluntate permanserit. Hoc facile ex. gr. in eo appareret, quod ab eo tempore constanter ecclesia solam hanc traditionem consideraret et vocaret ritum sacramentalem, essentialem, quod in praxi secundum hanc suam voluntatem procederet, quod in scholis ecclesiae haec doctrina proponeretur et quod ecclesia negationem huius suae voluntatis non permitteret. De facto vero apparet fere contrarium.

58. Sequenti saeculo in *concilio Tridentino* nihil apparet de tali voluntate ecclesiae (1). Tum theologi tum Patres in concilio diversas circa materiam ordinationis habent sententias, et schemata ita immutata sunt, ut nihil iam determinate de hac re diceretur (sess. 23 c. 3 « quae verbis et signis exterioribus peragitur ») (2).

59. *Concilium Coloniense* (1536) p. 1, de munere episcopali : « Episcopi munus in duobus potissimum consistit. Primum in impositione manuum, quae est ordinum ecclesiasticorum collatio ac institutio ministrorum, deinde in visitatione dioeceseos » (Msi 32, 1213; cf. cap. 1 ibid.).

---

(1) Cf. *Quera*, Estudios Eclesiasticos 4 (1925) 146 ss.

(2) Si autem ita est, non videtur certum idem concilium in eadem sessione c. 2 positive indicare voluisse impositionem manuum tamquam ritum essentialem, uti Quera l. c. deducit ex verbis « Nam non solum de sacerdotibus sed et de diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt, *et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docent* » ; probandum esset, illa verba a concilio intellecta esse de ipso *ritu* ordinationis. Neque in eundem sensum cum certitudine afferri possunt, quae concilium s. 14 de extrema unctione cap. 3 (Denz. 910) dicit ; ibi enim explicat, presbyteros apud Iac. 5, 14, non esse intelligendos aetate seniores aut primores in populo, sed aut episcopos aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos « per impositionem manuum presbyterii » (1 Tim. 4, 14) ; non autem dicitur hodie adhuc eodem ritu (tamquam essentiali) sacerdotes ordinari. Secundum cathechismum romanum (p. 2, c. 7, n. 10), imprimis a theologis O. P. conscriptum, traditio instrumentorum esset ritus essentialis, quem supponit ab initio fuisse in ecclesia, id quod hodie dici iam non potest. Cf. Quera, p. 152 s.

Concil. Moguntinum (1549), capitula ad fidem pertinentia, cap. 35 : « In collatione ordinum, quae cum impositione manuum velut visibili signo traditur, doceant rite ordinatis gratiam divinitus conferri, qua ad ecclesiastica munera rite et utiliter exercenda apti et idonei efficiantur... » (Msi 32, 1412).

Illa ergo concilia solam impositionem manuum habent ritum essentialem.

60. Sententia eadem inter theologos a saeculo 16 semper crevit et saeculo 19 et 20 communissime ita docetur, quod plane non intelligitur, si adhuc voluntas ecclesiae esset, ut non impositio manuum, sed sola traditio instrumentorum esset materia ordinationis.

61. Neque tandem in *Litteris Apostolicis Leonis XIII* « Apostolicae curae » (de ordinationibus anglicanis) quidquam apparet de tali voluntate ecclesiae ([1]); immo potius cum theologorum sententia illo tempore maxime communi ipsam impositionem manuum pro ritu essentiali videtur habuisse. Sacramenta novae legis debent significare gratiam quam efficiunt; haec significatio est in toto ritu essentiali, materia et forma, sed praecipue in forma, cum materia per se non determinata a forma determinetur. « Idque in sacramento ordinis manifestius apparet, cuius conferendi materia, qualis hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio; quae quidem nihil definitum per se significat, et aeque ad quosdam ordines, aeque ad confirmationem usurpatur ». Et deinde ostendit illam formam quam Anglicani habent non significare definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem. Hinc ordinatio est invalida. Non autem ex defectu traditionis instrumentorum deducit, quod ordinationes anglicanae fuerint invalidae; immo paulo antea in iisdem litteris

---

([1]) *Sidney F. Smith*, Dict. apol. de la foi catholique 3, 1202-1204; *Galtier*, Dict. de Théol. cathol. 7, 1420-1422 (qui oppositum defendit); *Quera*, Estudios Ec lesiasticos 4 (1925) 237-240.

postquam in memoriam revocavit, Clementem XI decrevisse : « Ioannes Clemens Gordon ex integro et *absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et praecipue presbyteratus », pergit : « Quae sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem traditionis instrumentorum quidquam momenti duxit; tunc enim praescriptum de more esset, ut ordinatio sub conditione instauraretur ». Ed addit rationem sententiae invaliditatis fuisse « ex vitio formae ».

62. Ex his omnibus videtur iure concludi posse : Etiamsi supponeretur, ut supra (nr. 57) fecimus, decreto pro Armenis manifestari voluntatem ecclesiae circa mutationem ritus essentialis sacramenti ordinis, ita ut non iam impositio manuum sed traditio instrumentorum in ecclesia latina sit ritus essentialis, non tamen constat, nostris quoque temporibus hanc voluntatem perdurare, immo potius, ob rationes allatas oppositum dicendum est; ita ut etiamsi dicto modo decretum pro Armenis intelligeretur, quaestio nostra inde non esset soluta.

63. De tribus ergo sententiis, supra nr. 52 indicatis, ita iudicandum videtur.

Sententia, quae solam traditionem instrumentorum cum verbis : Accipe potestatem etc. ritum essentialem habet, ne cum certitudine quidem probare potest, talem mutationem umquam ab ecclesia factam esse; multo minus talem mutationem, etiamsi saeculo 14 vel 15 facta esse concederetur, ad nostra usque tempora permanere.

Sententia autem, quae primam impositionem manuum et traditionem instrumentorum pro ritu essentiali habet, et quae sicuti antecedens imprimis ad decretum pro Armenis provocare solet, nullum ibi fundamentum habet, cum decretum pro Armenis solam traditionem instrumentorum assignet.

64. Ergo retinenda videtur antiqua sententia, solam impositionem manuum cum invocatione Spiritus Sancti essentialem esse ritum sacramentalis ordinationis. Nam

1) impositio manuum cum invocatione Spiritus Sancti ab initio per multa saecula ritus essentialis erat in universa ecclesia, idemque ritus sine dubio adhuc essentialis permansit apud multos orientales. Idem autem ritus in ecclesia quoque latina modo essentialiter eodem semper adhibetur; ergo dicendum est eundem hunc ritum in ecclesia quoque latina permansisse essentialem. Ut enim iure assumi possit huic ritui, qui in tota ecclesia essentialiter semper perduravit, efficaciam ex opere operato, quam antea habuit, in parte ecclesiae ablatam esse, cum in alia parte ecclesiae eam retinuerit, solidae et cogentes omnino requiruntur rationes; atqui ex supra dictis tales rationes non existunt; ergo assumendum est, eundem hunc ritum permansisse essentialem, sicuti ab initio erat.

2) Haec est communissima sententia theologorum.

THESES DE SACRAMENTO MATRIMONII

Thesis 1: Matrimonium christianum est vere et proprie novae legis sacramentum.

Petrus Lombardus, l. 4, d. 26; *S. Thomas*, in 4, d. 26, q. 2; *Bellarminus*, De matrimonio, cap. 2-5; *Palmieri*, Tractatus de matrimonio christiano, thes. 7-9; *Sasse*, II, 365 ss.; *Billot*, thes. 36; *Pesch*, prop. 53.

65. *Matrimonium* a Magistro (l. 4, d. 27) definitur: « Sunt ergo nuptiae vel matrimonium viri mulierisque coniunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens ». Haec « coniunctio » si active vel *in fieri* consideratur, est contractus « quo vir et mulier sibi mutuo legitime corpora sua tradunt ad actus quibus per se multiplicationi generis humani consulitur » (Vermeersch, IV, nr. 35); passive consideratum sive *in facto esse* est status seu vinculum illo contractu inductum. De matrimonio ut officio naturae dictum est in philosophia naturali; haec nunc supponuntur. Thesis affirmat, *matrimonium christianum* (i. e. baptizatorum) esse vere et proprie sacramentum, i. e. signum ex opere operato efficax eius gratiae quam significat. In hac tamen thesi nondum determinatur, sitne sacramentum ipse contractus an aliquid ad ipsum accedens; de hac quaestione agit thesis sequens. Cum omnia sacramenta a Christo sint instituta, idem valet de matrimonio; sed haec institutio in matrimonio, quod iam antea existebat, ita intelligenda est, quod Christus matrimonio tribuit significationem gratiae supernaturalis et infallibilem efficaciam cum eo coniunxit.

66. Matrimonium christianum esse sacramentum negaverunt

a) illi, qui matrimonium dixerunt rem malam : Encratitae, gnostici (materia mala), manichaei, priscillianistae; albigenses. Cf. Denz. 36; 241; 424; 430; 537.

b) novatores saeculi 16 non damnabant matrimonium, sed negabant esse sacramentum. *Luther* (De captiv. babyl., § de matrimonio) : « Matrimonium non solum sine ulla scriptura pro sacramento censetur, verum iisdem traditionibus, quibus sacramentum esse iactatur, merum ludibrium factum est ». *Calvin* (*Inst.*, l. 4, c. 19, 34) : « Matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cuinam umquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio Dei bona est et sancta; et agricultura, architectura, sutrina, tonstrina ordinationes sunt Dei legitimae, nec tamen sacramenta sunt ». *Melanchthon* et *Chemnitius* « agnoscunt in matrimonio Dei mandatum et promissionem gratiae, sed non gratiae iustificantis et reconciliantis hominem Deo; et ideo negant sacramentum proprie dici posse matrimonium eo modo, quo baptismus et Eucharistia sacramenta dicuntur; fatentur tamen aliquo modo sacramentum esse » (Bellarmin, de matrimonio, c. 1).

Doc. Ecclesiae.

67. *Concilium Tridentinum*, sess. 7, can. 1, de sacramentis in genere inter septem sacramenta a Christo instituta, quae vere et proprie sacramenta sunt, enumeravit matrimonium. Deinde sess. 24 speciatim de matrimonio tractat. Art. 1 theologis propositus : « Matrimonium non esse sacramentum a Deo institutum, sed ab hominibus in ecclesiam invectum, nec habere promissionem gratiae » [1]. Canon ex hoc articulo formatus : « Si quis dixerit, matrimonium non esse verum sacramentum legis evangelicae divinitus institutum, sed ab homnibus in ecclesiam in-

---

[1] Conc. Trid., tom. 9 (ed. Ehses), p. 380.

vectum : anathema sit » [1]. Censura Patrum : « In I canone dicatur *proprie unum ex septem sacramentis legis evangelicae*. Quod consideretur, quod dixit Durandus, matrimonium esse verum sacramentum, sed non univoce cum ceteris. Et addatur *a Christo institutum* ibi *sacramentum*, et quod gratiam conferat [2]. Inde reformatus canon : « S. q. d., matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo institutum, sed ab hominibus in ecclesia invectum, neque gratiam conferre : anathema sit » [3]. Et ita canon permansit; loco *invectum* vero ponebatur *inventum* et in definitione *Christo* additum est *Domino* [4].

Praemisit concilium canonibus doctrinam, qua dicitur : « Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus conubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia et universalis ecclesiae traditio semper docuerunt... » (Denz. 970; 971).

68. *Conc. Lateran. II* (1139), can. 23 (Denz. 367); *Conc. Veronense* (1184) contra Albigenses (Denz. 402); *Innocentius III* epist. « Quanto te magis » 1199 (Denz. 406); *conc. Lugdunense* (1274), Prof. fidei Michaelis Palaeologi (Denz. 465); *Ioannes XXII*, damn. error. Fraticellorum 1317 (Denz. 490); *concil. Florent.*, decr. pro Armenis 1439 (Denz. 695; 702).

Post conc. Tridentinum : *Pius IX*, Alloc. « Acerbissimum vobiscum » 1852 (Denz. 1640); Syllabus 1864, err. 65 (Denz. 1765); *Leo XIII*, encycl. « Arcanum divinae sapientiae » 1680 (Denz. 1853); *Pius X*, decr. S. Officii « Lamentabili » 1907, err. modern. 51 (Denz. 2051).

---

(1) Ibid. 639.
(2) Ibid. 680.
(3) Ibid. 682.
(4) Ibid. 760; 889; 967.

S. Scriptura.

69. Plures theologi ex Eph. 5, 31 s. probare conantur, matrimonium esse sacramentum. Ad hoc efficiendum, ostenditur, secundum verba apostoli matrimonium esse signum rei sacrae, scl. unionis Christi cum ecclesia; et cum hoc pro signo sacramentali non sufficiat, additur : unio Christi cum ecclesia est per gratiam sanctificantem; ergo matrimonium significando illam unionem significat gratiam sanctificantem. Sed neque hoc sufficit, cum sacramentum sit signum eius gratiae quam confert; hinc aliqui via paululum artificiosa ulterius ostendunt matrimonium significare gratiam cum matrimonio coniunctam (ex. gr. Palmieri, p. 66 s.; Sasse, p. 371 s.). Adhuc autem ostendendum esset, hanc significationem competere ipsi contractui extrinsecus manifestato (non ex. gr. ipsi unioni corporali, vel matrimonio in facto esse); hoc autem difficile ex verbis apostoli probatur.

70. Sed etiamsi haec omnia probata supponerentur, ostendendum restat id quod est principale; scl. signum illud, quo matrimonium initur, ex opere operato efficax esse gratiae quam significat. Hoc ab aliquibus probatur generali asserto de indole oeconomiae christianae, in qua vera sanctitas non solum significatur sed etiam confertur et propterea omnis ritus, institutione divina gratiam significans, eandem quoque confert; alii autem hanc indolem ex ipsa s. scriptura probare conantur, praecipue ex epistulis s. Pauli, speciatim ex epistula ad Galatas. In hac epistula gravissime reprobat apostolus, quod Galati adhibere velint ritus veteris legis; haec esset servitus indigna liberis filiis Dei in nova lege. Lex antiqua erat paedagogus ad Christum, essentialiter praeparatio, et observatio rituum erat professio fidei futuri Messiae. Talia adhibere postquam Christus venit et mortuus est, postquam tempus praeparationis finitum est, et tempus impletionis advenit, aequivaleret professioni : nondum Christus venit, est adhuc tempus praeparationis. Et sic ritus veteris legis nunc sunt inanes, sine valore, immo reprobandi.

71. Ex his deduci potest : Nulli sunt in nova lege ritus, qui Messiam vel gratiam eius ut futuri significent; in nova lege de facto gratia Messiae datur et quidem secundum ipsam naturam novae legis, quod est tempus impletionis; praeterea cognoscitur valde conveniens huic legi, quod gratia per ipsos ritus a Christo institutos detur. Attamen non videtur inde probari posse, indoli novae legis contradicere, servitutem libertati filiorum Dei repugnantem esse, si Christus praeter sacramenta etiam sacramentalia instituisset, et hanc ob causam Christum hoc non fecisse nec facere potuisse. Deberet autem probari, ut valeret conclusio : omne signum ex institutione Christi significans gratiam, eiusdem gratiae est efficax ex opere operato.

72. Hinc de verbis s. Pauli, Eph. 5, 22, 32 melius dicitur cum concilio Tridentino, apostolum *innuisse*, Christum gratiam « quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret » nobis promeruisse (Denz. 969) (1).

Patres.

73. Patres ex professo non tractant theoretice de matrimonii sacramentalitate sensu stricto; controversiae quae de matrimonio tempore Patrum agitabantur, erant de liceitate et moralitate coniugii, de virginitate et matrimonio, de liceitate secundarum nuptiarum et de similibus, non autem praecise de sacra-

---

(1) In priore forma doctrinae sic legebatur : « Sanctitatem porro huic lege evangelica uberius infusam, naturalis illius caritatis perfectricem, docuit in haec verba Paulus : Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et mox subdidit : Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico : In Christo et ecclesia, id. sc. innuens, quod mutua viri et mulieris coniunctio non solum Christi et ecclesiae coniunctionem repraesentet, sed et non otiosam Christi ipsos coniuges iungentis referat gratiam, praesentemque testetur et sufficiat » (Conc. Trid. 9, 761).

mentalitate. In iis autem quae de matrimonio affirmant, apparet Patres matrimonium non considerasse rem mere civilem, sed matrimonium illis est res sacra, a Christo sanctificata, in quo gratiae conceduntur ad officia implenda; cuius cura pertinet ad ecclesiam. Haec quidem, si singula nude in se considerantur, non quidem stricte sacramentalitatem matrimonii directe enuntiant, sed ratione habita temporis, circumstantiarum, finis ob quem Patres scribunt sufficienter ostendunt, subesse persuasionem de matrimonio christiano ut sacramento (1).

74. *S. Ignatius,* ep. ad Polycarpum 5, 2: « Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, ut nuptiae secundum Dominum sint, non secundum cupiditatem » (R. 67).

Tertullianus, Ad uxorem, l. 2, c. 9: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet? » (MPL., 1, 1302; R. 320); cf. De pudicitia 4 (MPL., 2, 987; R. 384).

75. *Origenes,* In Matth. comment. t. 14, n. 16: « Ac Deus quidem is est, qui duo in unum compegit, ut, ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint, et, quoniam coniunctionis auctor est Deus, propterea iis inest gratia, qui a Deo coniuncti sunt; quod non ignorans Paulus conubium verbo Dei consentaneum gratiam esse pronuntiat, quemadmodum castus caelibatus gratia est. Sic enim ait: Volo omnes homines esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Qui autem a Deo coniuncti sunt, id sentiunt et faciunt: Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam » (MPG., 13, 1230; cf. R. 505).

---

(1) *Müllendorf,* Uber den patristischen Beweis für die Ehe als Sakrament. Zeitschr. für kath. Theologie 2 (1878) 633-649; *Pesch,* nr. 703 ss.; *L. Godefroy,* Dict. de Théol. cath. 9, 2101 ss.

76. *S. Epiphanius,* Adv. haeres. Panarium, haer. 51, c. 30 : « In Cana Galilaeae externae sunt celebratae nuptiae, et aqua revera in vinum conversa dicta est duabus de causis, ut diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem nuptiarum castimonia et honestate constringeret, et ut quod deerat emendaret ac iucundissimi vini suavitate mulceret et gratia » (MPL., 41, 941; R. 1094).

77. *S. Ambrosius,* ep. 19, 7 : « Sed prope nihil gravius quam copulari alienigenae, ubi et libidines et discordiae incentiva et sacrilegii flagitia conflantur. Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia? » (MPL., 16, 984; R. 1249). Ep. 42, 3 : « Neque nos negamus sanctificatum a Christo esse coniugium, divina voce dicente : Erunt ambo in carne una et in uno spiritu » (MPL., 16, 1124; R. 1253). De Abraham, l. 1, c. 7 : « Discite, qui ad gratiam baptismatis tenditis, veluti quidam fidei candidati, continentiae disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem praeter uxorem. Ideoque coniugii tibi ius datum est, ne in laqueum incidas et cum aliena muliere delinquas... Cognoscimus velut praesulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violat, gratiam solvat. Et ideo, quia in Deum peccat, sacramenti caelestis amittit consortium » (MPL., 14, 442).

78. *S. Augustinus,* In Ioannis evangelium tract. 9, n. 2 : « Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum; quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est : Servasti vinum bonum usque adhuc. Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc, id est, evangelium suum » (MPL., 35, 1459; R. 1812).

79. Triplex bonum nuptiarum s. Augustinus distinguere solet : proles, fides, sacramentum. De bono coniugali, c. 24, n. 32 :

« Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius vivit, nec saltem ipsa causa pariendi; quae cum sola sit qua nuptiae fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis, et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium permanente » (MPL., 40, 394); cf. c. 18, nr. 21 (MPL., 40, 387 s.).

80. De nuptiis et concupiscentia, l. 1, c. 10, nr. 11 : « Quoniam sane non tantum foecunditas, cuius fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides; verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, unde dicit Apostolus : Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam : huius procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina conubio copulati quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo et ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cuius sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est in ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut, cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminae, vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, ut alia foecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius saeculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare conubia, quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur, sed lege evangelii reus est adulterii; sicut etiam illa si alteri nupserit. Usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro se-

parati sunt, quam cum his, quibus aliis adhaeserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum conubium fuit, fieri verum conubium potest cum quo prius adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis; sicut apostatae anima velut de coniugio Christi recedens etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit » (MPL., 44, 420). Cap. 11, nr. 13 : « Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi : proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium » (ib. col. 421). Cap. 17, nr. 19 : « In nuptiis tamen bona nuptialia diligantur : proles, fides, sacramentum. Sed proles non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur; nascitur namque ad poenam, nisi renascatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? aut quae mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in conubio bonum naturale est quidem, carnale tamen. Sed membrum Christi coniugis adulterium coniugi debet timere, non sibi; et a Christo sperare fidei praemium, quam exhibet coniugi. Sacramentum vero, quod nec separati nec adulterati amittunt, coniuges concorditer casteque custodiant » (ibid. col. 423).

81. *S. Cyrillus Alexandrinus,* In Ioannem com., l. 2, c. 1 : « Cum nuptiae celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem mater servatoris, sed et ipse cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus quam ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet » (MPG., 73, 224; R. 2108).

82. *S. Maximus,* hom. 23 : « Invitatus itaque, ut legitur, Dominus perrexit ad nuptias; sed ut dignaretur hoc virginis filius, nostrae eruditionis est ratio, ut, hoc docti exemplo, legitimarum

illum nuptiarum non negemus auctorem. Vadit ergo ad nuptias Dei Filius, ut, quas dudum potestate constituit, tunc praesentiae suae benedictione sanctificet » (MPL., 57, 274; R. 2218).

Theologi.

83. Iam pluribus saeculis ante conc. Trid. hac in re erat consensus theologorum (cf. De sacram. in gen., nr. 65 s.; 75); de sententia aliquorum theologorum et canonistarum, hoc sacramento non conferri gratiam, ibid. nr. 272.

Obiectiones.

84. 1. Sacramenta novae legis a Christo sunt instituta; atqui matrimonium non est a Christo institutum; ergo.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: matrimonium ut contractus naturalis, conc.; ut sacramentum, nego. Christus enim tribuit matrimonio significationem infallibilem gratiae.

2. Sacramentum confert gratiam quam significat; atqui matrimonium significat unionem Christi cum ecclesia (Eph. 4), quam non confert; ergo non est sacramentum.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: solum, nego; etiam, conc.

3. In matrimonio non habetur ritus sacer; ergo non est sacramentum.

Resp. Neg. antec.; nam ritus sacer in matrimonio est ille quo fit matrimonium, qui debet esse externus, et est sacer quatenus ex institutione Christi gratiam sacramentalem significat et nomine Christi ponitur. Ad hoc ultimum cf. De sacramentis in genere, thes. 3, nr. 110. Praeterea vide ibid. nr. 95.

4. Matrimonium eiusque actus est peccaminosus; ergo matrimonium non potest esse sacramentum.

Resp. Negandum antecedens; cf. quae de hac materia dicuntur in theologia morali.

85. 5. Melius et beatius est manere in virginitate et caelibatu, quam iungi matrimonio (Conc. trid., s. 24, can. 10; Denz. 981); atqui virginitas non est sacramentum; ergo multo minus matrimonium.

Resp. Conc. mai. et min., et nego suppositum, scl. perfectionem status esse rationem, cur sacramento consecretur. Hoc enim a libera Christi voluntate pendebat; supposita autem hac voluntate Christi, facile intelli-

gitur, sapientissime institutum esse, quod matrimonium christianum sit sacramentum. Finis enim matrimonii christiani est propagare populum Dei, unde gravia onera coniugibus imponuntur; praeterea matrimonium christianum specialem habet unitatem et indissolubilitatem, unde iterum magnae difficultates oriri possunt; hinc facile intelligitur Christum gratia sacramentali eos sublevare et adiuvare voluisse, qui huiusmodi onera subeunt. Palmieri: « Si comparetur status cum statu, perfectior est status continentiae; at nihil impedit quominus status ex se imperfectior consecretur sacramento, et sub hac ratione praestet alteri. Quemadmodum sacramentum est pro poenitentibus, non pro innocentibus, licet hic status sit perfectior. Ratio vero erat cur gratia sanctificante consecretur fieretque in nova lege sacramentum matrimonium, a quo familia et universa societas pendet, quae continuatur actio creativa Dei propagazione filiorum ad cultum ipsius; ut ita sub tutela et directione Ecclesiae, cui sacramenta concredita sunt, esset in ipso suo exordio universa humana familia » (Tract. de matrimonio, pag. 72).

Si continens contrahit matrimonium, gratia sacramentalis ex opere operato ei confertur: crescit in gratia; si idem *propter Deum* continens mansisset, gratiam illam sacramentalem non quidem accepisset, sed fortasse magis in gratia crevisset ex opere operantis.

Thesis 2: Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ispsum contractum matrimonialem; quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

Petrus Lombardus, l. 4, d. 28; *S. Thomas*, in 4, d. 28, q. 1, a. 3; *Bellarminus*, c. 7; 8; *Palmieri*, thes. 10; *Sasse*, II, 384 ss.; *Billot*, thes. 37; *Pesch*, prop. 54.

86. Ex prima thesi habetur: matrimonium christianum in fieri est sacramentum. Matrimonium non christianum in fieri est contractus. Estne matrimonium christianum sacramentum per aliquid quod ad contractum accedit, an est ipse contractus sacramentum? Hoc a libera Christi voluntate pendet; hinc quaeritur, quidnam Christus voluerit.

87. Variae de hac re propositae sunt sententiae:

1. Ipse contractus est sacramentum. Ita s. Thomas: « verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam

sacramentale » (in 4, d. 26, q. 2, a. 1 ad 1); s. Bonaventura : « Ad esse matrimonii ista duo sufficiunt, scilicet legitimitas in personis et unitas in consensu. Ad solemnitatem vero et decorem sive honestatem requiritur et parentum traditio et sacerdotum benedictio » (in 4, d. 28, a. 1, q. 5; cf. in 4, d. 26, a. 2, q. 2); similiter Scotus in 4, d. 26, q. unica. Haec autem sententia duplici modo concipi potest :

88. *a*) ita ut dicatur, a voluntate contrahentium pendet, utrum contractus sit mere naturalis, an sit sacramentum. Sic Vazquez, Wirceburgenses : « Licet Christus contractum matrimonialem elevaverit in sacramentum, potest tamen a fidelibus contrahi matrimonium, quod valeat in ratione contractus, quin simul sit sacramentum. Vasq., Rebel., Sylvius aliique recentiores » (De matrimonio, nr. 300). Tenentur quidem fideles, cum contrahunt, ita contrahere ut sit sacramentum; sine hac voluntate illicite contrahunt, sed non invalide (nr. 303).

89. *b*) ita ut ex voluntate Christi omnis contractus validus inter christianos sit sacramentum; contrahentes ergo non possunt separare sacramentum et contractum. Si quis autem vellet contractum, non volens sacramentum, iudicandum esset secundum sententiam praevalentem vel pro valore contractus et eo ipso pro sacramento, vel pro non existentia sacramenti et eo ipso pro invaliditate contractus. (De intentione interna requisita cf. De sacramentis in genere, nr. 171).

90. 2. Benedictio sacerdotis est forma ritus sacramentalis, contractus est materia; hinc matrimonium sine ecclesiae ministro non est vere et proprie sacramentum. Sic Melchior Cano, De locis theologicis, l. 8, c. 5; quem plures secuti sunt (Estius, Tournely, Drouven).

91. 3. Sola benedictio sacerdotis est sacramentum; ipso contractu sacramentum nullo modo constituitur; etiam in sacramento matrimonii contractus matrimonialis non est res sacra, sed manet

contractus naturalis, civili potestati saeculari plane subiectus. Ita Marcus Antonius de Dominis (De republica ecclesiastica, 1620); Ioannes Launoy (Regia in matrimonium potestas, vel Tractatus de iure saecularium principum christianorum in sanciendis impedimentis matrimonium dirimentibus, 1674); plures gallicani et iosephinistae, I. Nuytz. Consequentia huius doctrinae erat : matrimonium civili potestati subiectum.

92. Ex diversis his sententiis diversa consequuntur de materia, forma, ministro. Secundum sententiam regalistarum minister sacramenti est sacerdos, qui solus ponit ritum sacramentalem; sec. Cano quoque minister sacramenti est sacerdos, qui ponit formam, cum contrahentes solum praebeant materiam; si autem ipse contractus isque solus est totum sacramentum, in consensu manifestato essentia ritus inveniri debet; nam contractus matrimonialis essentialiter per consensum de praesenti perficitur (1). Vazquez dixit formam esse consensum legitime expressum, materiam autem corpora contrahentium; sed statim apparet, sic assignari materiam circa quam, non materiam ex qua; alii dixerunt consensum internum esse materiam, verba quibus manifestatur, esse formam; sed materia ritus debet esse sensibilis; hinc dicendum, verba (vel signa aequivalentia) quibus consensus manifestatur, sunt materia ritus, quatenus oblationem vel traditionem dicunt; forma, quatenus acceptationem dicunt.

93. Thesi defenditur sententia sub 1-*b* indicata; verba « *Christus Dominus... matrimonialem* » excludunt sententias 2 et 3; reliqua « *quare inter... sacramentum* » excludunt sententiam 1-*a*. Argumentis vero, quibus excluditur 1-*a*, a fortiori excluduntur 2 et 3; sufficit ergo ostendere, perfectam esse inseparabilitatem inter contractum matrimonialem christianorum et sacramentum.

94. Hanc identitatem vero explicite docuit *Leo XIII* in encyclica « Arcanum divinae sapientiae » (10 febr. 1880) : « Neque quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo

---

(1) Copula non requiritur ad essentiam matrimonii; vide *Pesch*, prop. 55.

sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum : nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem illapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat » (Denz. 1854).

95. *Pius IX* in Syllabo damnavit prop. 66 : « Matrimonii sacramentum non est, nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est ». Prop. 73 : « Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur » (Denz. 1766; 1773). In Allocutione « Acerbissimum vobiscum » (1852) dixerat, neminem ex catholicis ignorare aut ignorare posse « matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab ecclesia tantopere

damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere » (Denz. 1640).

96. In *cod. iur. can.*, can. 1012, ex quo verba thesis desumpta sunt, explicite identitas inter contractum validum christianorum et sacramentum affirmatur, et secundum hanc identitatem ecclesia in praxi procedit (matrimonia clandestina).

Obiectiones.

97 1. Sacramentum est signum visibile invisibilis gratiae; atqui contractus matrimonialis non est signum visibile invisibilis gratiae; ergo non est ipse contractus sacramentum.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: non est ex natura sua, conc.; non est per institutionem Christi, nego.

2. Ritus sacramentalis componitur ex rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma; atqui haec in contractu matrimoniali non inveniuntur; ergo.

Resp. Conc. mai. (eo sensu quo doctrina proposita est in tractatu de sacramentis in genere, thes. 2, nr. 89 ss.); nego minorem, secundum ea quae in eodem tractatu nr. 95 et supra nr. 92 dicta sunt.

98. 3. Contrahentes matrimonium possunt velle contractum validum et nolle sacramentum; atqui si non volunt sacramentum, non perficitur sacramentum (eius enim exsistentia pendet a voluntate, intentione, ministri); ergo contractus validus et sacramentum separari possunt voluntate contrahentium.

Resp. Nego maiorem; nam christianus qui vult contractum matrimonialem sibi validum identice vult sacramentum, nam ex institutione Christi non exsistit validus contractus inter christianos quin sit sacramentum. Cf. *Sasse*, II, p. 388 s.; *Billot*, p. 364 s. Quid in hac re dicendum sit de intentione interna ad valorem sacramenti requisita, vide tract. de sacr. in genere, nr. 171.

4. Ad valorem sacramenti matrimonii requiritur sacerdos; atqui ille non requiritur ad valorem contractus matrimonialis christianorum; ergo contractus non est sacramentum.

Resp. Dist. mai.: generatim pro omnibus christianis, nego; quatenus positiva lex postulat, subdist.: requiritur, ut contractus sit validus, conc.; ut contractus validus sit sacramentum, nego. Contradist. min.: omnium christianorum, conc.; quatenus positiva lex postulat, nego.

99. 5. Sacerdotes sunt dispensatores mysteriorum Dei (1 Cor., 4, 1); ergo sunt dispensatores sive ministri sacramenti matrimonii; si autem ita, ipse contractus non potest esse sacramentum, cum sacerdos non contrahat.

Resp. Ad maiorem: mysterium illo loco non est praecise sacramentum illo sensu quo nunc accipitur; et si ita acciperetur, nondum sequeretur solos sacerdotes esse dispensatores omnium sacramentorum; sed transeat maior. Distinguo minorem: sacerdos est « dispensator » sacramenti matrimonii eo sensu, quod ipse conficiat sacramentum, nego; eo sensu, quod valor matrimonii christiani subsit ordinationi ecclesiae et sic valor contractus a praesentia sacerdotis dependere possit, conc.; « sacerdotes sive ecclesia regens matrimonium dispensat, quatenus illud regit legibusque suis modum decernit, quo contrahi rite possit » (Palmieri, pag. 89).

6. Ex concilii Tridentini praecepto parochus dicere debebat: « Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (Denz. 990); ergo parochus videtur minister matrimonii; et reliqua ut obi. 5.

Resp. dist. antec.: et haec erant forma sacramenti, nego; authentica declaratio ecclesiae, matrimonium esse ratum, conc.

100. Pro sententia, sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii, et proinde contractum non esse sacramentum afferebantur dicta Patrum, quibus sanctitas matrimonii benedictioni sacerdotali tribui videtur, et decreta conciliorum, in quibus sacerdotes apparent ministri matrimonii (textus vide ex. gr. apud *Drouven*, De re sacramentaria, tom. 2, lib. 10, q. 2).

Ad haec dicendum: 1) Ex benedictione sacerdotum cognoscitur matrimonium esse rem sacram, sed non per benedictionem fit matrimonium res sacra et sacramentalis; 2) illa decreta conciliorum agunt de sacerdote ut ministro solemnitatis, non autem necessario de sacerdote ut ministro sacramenti quoad substantiam eius; praeterea attendendum, vocem « sacramenti » non semper accipi sensu stricto; 3) concedi potest, prioribus temporibus quaedam dicta esse, quae in unum vel alium sensum, vel forte etiam solum sensu thesi opposito intelligi possunt; haec ergo hodie, post tam claram expositionem ecclesiae, quae in argumento allata est, illo sensu non iam defendi possunt.

Thesis 3: Sacramentum matrimonii efficit vinculum inter virum et mulierem intrinsecus plane indissolubile.

Bellarminus, c. 15-17; *Palmieri*, thes. 17-21; *Sasse*, II, 410; 415 ss.; *Pesch*, prop. 57; 58

101. Thesis agit de indissolubilitate vinculi matrimonialis, quod per sacramentum matrimonii efficitur. Uti duplex dissolubilitas contractus distinguitur, ita duplex quoque indissolubilitas. Intrinsecus dissolubilis est contractus, qui ipsorum contrahentium voluntate dissolvi potest; vocatur intrinsecus dissolubilis, quia in

natura talis contractus est, quod obligationes ex tali contractu ortae, eorundem consensu dissolvi possint, quorum consensu ortae erant. Extrinsecus dissolubilis est contractus, qui per causam externam, auctoritate superiore, dissolvi potest. Hinc intrinsecus indissolubilis est contractus, qui voluntate contrahentium dissolvi nequit; extrinsecus indissolubilis, qui per auctoritatem superiorem dissolvi nequit.

102. Thesis solum loquitur de indissolubilitate *interna*; additur *plane* indissolubile ad indicandum, nullam esse in hac re exceptionem, ne adulterium quidem alterius coniugis. Praeterea thesis agit de *sacramento* matrimonii; non ergo de indissolubilitate, quam contractus naturalis matrimonialis habet, qua de re dictum est in philosophia morali (cf. Syllab. Pii IX, prop. 67; Denz. 970); neque de dispensatione, quam Deus dedit in vetere testamento, permittendo libellum repudii (Deuteron. 24, 1 ss.; Matth. 19, 8).

Adversantur thesi, speciatim in causa adulterii, Novatores saeculi 16, plures orientales, et inter Graecos etiam ex parte catholici.

Doc. Ecclesiae.

103. *Concilium Tridentinum*, sess. 24: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ». Huius « nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam, (Christus Dominus) his verbis confirmavit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Gratiam vero, quae... indissolubilem unitatem confirmaret... ipse Christus ... promeruit » (Denz. 969). *Can. 5*: « Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit » (Denz. 975). De hoc canone non erant discussiones in concilio (1).

(1) Conc. trid. 9, 682; 742; 760; 889; 967.

104. *Can. 7*: « Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit anathema sit » (Denz. 977).

105. *Historia huius canonis. Articulus 3*: « Licere post repudiatam uxorem causa fornicationis iterum contrahere, vivente priore uxore, erroremque esse, exta illam causam fornicationis divortium facere » (1). *Can. 6*: Si quis dixerit, propter adulterium alterius coniugum posse matrimonium dissolvi et utrique coniugum vel saltem innocenti, qui causam adulterio non dederit, licere novare coniugium, neque moechari eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, neque eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anathema sit » (2). *Censura Patrum*: « In 6 non ponatur anathema, ne teriatur Ambrosius et alii, qui contrarium tenent, praesertim Graeci, qui non sunt omnino reiiciendi ab ecclesiastica unione. Item dicatur de viro, non autem de muliere, cum de hoc a nullo sit dubitatum. Et ibi *ab innocenti* addatur *viro*, quia hoc nulla lege conceditur mulieri. Et ibi *novare* dicatur *cum alia contrahere*. Item damnentur ii, qui dicunt, ecclesiam non posse id prohibere » (3). *Can. 7*: « Si quis dixerit... ut supra can. 6; pro « licere novare coniugium » nunc habetur: « licere, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere » (4). *Vota Patrum*: « Septimus sic aptetur: Si quis dixerit, ecclesiam catholicam errasse vel errare, quando, propter adulterium alterius coniugum, docuit et docet, idque per Scripturas sacras, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque coniugum, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dederit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, et moechari eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anathema sit. (29 Patres). In canone Lotharingi (i. e. canon modo citatus) non ponatur *per Scripturas sacras* (6 Patres). Satisfiat petitioni oratorum Venetorum (69 Patres). — Satisfiat petitioni oratorum Venetorum, dummodo non derogetur veritati (2 Patres, ut videtur). Septimus canon maneat ut iacet (12 Patres). — Septimus canon mutetur » (1 Pater). (5). *Canon 7*: « Si quis dixerit, ecclesiam errare, quod iuxta

---

(1) Ibid. 380; (2) 640; (3) 680; (4) 682; (5) 742 s

evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonium non posse dissolvi docuit, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anathema sit » (1). Paululum immutatus est iterum canon, ita ut loco « matrimonium non posse dissolvi docuit » dicatur « matrimonii vinculum non posse dissolvi docuit et docet » (2). Parva deinde mutatio in textu definito: « Si quis dixerit ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam... » et consequenter post « non posse dissolvi » omittitur « docuit et docet » (3).

106. *Innocentius III*, in professione fidei Waldensibus praescripta, 1208 (Denz. 424); *Conc. Florent.*, Decretum pro Armenis, 1439 (Denz. 702); *Benedictus XIV*, in prof. fidei Orientalibus praescripta, 1743 (Denz. 1470); cf. Denz. 1865.

S. Scriptura.

107. Christus Dominus explicite docet matrimonium in novo foedere esse insolubile, Matth. 5, 32; Luc. 16, 18; Matth. 19, 9; Marc. 10, 11. Cum verba Christi apud Luc. et Marc. nullam dicant exceptionem, apud Matth. adulterium videtur exceptum, et in his verbis Graeci et Protestantes opiniones suas fundant. Sed neque contextus neque verba Christi apud Marc. et Luc., neque reliqua doctrina Novi Testamenti (1 Cor. 7, 10; Rom. 7, 2 s.) permittunt hanc interpretationem.

108. Apud Matth. 5 Christus perfectionem suae legis imperfectioni antiquae legis opponit. In antiqua lege Deus permiserat ex certis rationibus dimissionem uxoris; qui autem uxorem suam dimisit, debuit ei dare libellum repudii, et sic uxor dimissa erat libera et potuit in matrimonium duci ab alio viro. Quaenam autem esset ratio sufficiens talis dimissionis, inter Iudaeos disputabatur: secundum alios adulterium, secundum alios omnis fere displicentia. Si Christus Matth. 5, 32 dixisset, solum adulterium

(1) 760; (2) 889; (3) 967.

esse rationem sufficientem solutionis vinculi matrimonialis, severiorem tantum sententiam Iudaeorum suam fecisset, non autem perfectionem suae legis imperfectioni antiquae legis opposuisset; de facto autem opposuit suam legem ei quod Deuteron. 24, 1, praescriptum erat, non alicui explicationi scholae Iudaeorum.

109. Textus sic videtur explicandus : Christus negat in suo regno libellum repudii, quo mulier dimissa libera esset a vinculo; hinc in nova lege mulier a viro dimissa manet ligata, et propterea is, qui eam dimittit, facit eam moechari, inducit eam in periculum adulterii; excipitur casus, in quo ipsa mulier erat adultera; si enim talis dimittitur, iuste dimittitur, neque dimittens dici potest « facit eam moechari »; iam enim est adultera. Ergo lex antiqua dixit : Qui mulierem dimittit, *det ei libellum repudii*, i, e. *faciat eam liberam* a vinculo; nova lex dicit : qui mulierem dimittit, *facit eam moechari*.

110. Matth. 19, 6 clare et universaliter Christus enuntiat : « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet »; libellum autem repudii dare, permissum erat Iudaeis ad duritiam cordis eorum. Christus vero ad primam insolubilitatem matrimonium revocat et libellum repudii abrogat : vinculum non iam solvitur; dimitti quidem potest uxor adultera; qui vero dimissa adultera aliam duxerit moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur. Illud « nisi ob fornicationem » referendum est tantum ad « quicumque dimiserit uxorem suam », non autem ad sequentia : « et aliam duxerit etc. ». Si ita explicatur, intelligitur quoque interrogatio discipulorum v. 10 (1).

Universaliter indissolubile esse matrimonium enuntiat s. Paulus 1 Cor. 7, 10; Rom. 7, 2. 3.

Patres.

111. *Hermae Pastor*, mand. 4, 1, 4-6 : « Dico ei : Domine permitte mihi, ut te pauca interrogem. Dic, inquit. Domine, in-

(1) Cf. *Knabenbauer* et *Lagrange* in utrumque locum ; *Strack-Billerbeck*, Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch I (München 1922) 303-321.

quam, si quis uxorem habet fidelem in Domino eamque deprehendit in adulterio aliquo, numquid peccat vir, si convivit cum ea? Quamdiu nescit, inquit, non peccat; si autem vir peccatum eius cognoverit neque paenitentiam egerit mulier, sed permanet in fornicatione sua, ac convivit vir cum ea, particeps fit peccati eius et socius adulterii eius. Quid igitur, inquam, Domine, faciat maritus, si uxor in hac libidine permanserit? Dimittat eam, inquit, et vir maneat secum; sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit » (R. 86).

112. *Clemens Alexandrinus,* Strom., l. 2, c. 23 : « Quod autem consulit scriptura uxorem ducere et nec a coniugio umquam permittit discedere, legem aperte constituit : Non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi matrimonio, dum vivit alter ex separatis... Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit : Si quis enim dimiserit uxorem, moechatur ipsam, hoc est, cogit eam moechari. Non solum autem, qui dimisit est eius causa, sed etiam qui eam suscepit, praebens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscipiat, revertetur ad virum » (MPG., 8, 1096; R. 420).

113. *Origenes,* Comment. in Matth., tom. 14, nr. 23. 24 refert quosdam rectores ecclesiarum aliquando permisisse mulieri vivente viro nubere, « contra Scripturae legem », « contra id quod scriptum est ». Deinde ad obiectionem ex Matth. 5, 32, quaerit, num repudiatio solum fieri possit ob adulterium, an etiam ob alias rationes. Nihil autem indicat, istam repudiationem (ob adulterium) solvere vinculum; concludit vero : « Quemadmodum autem adultera est uxor, etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo, ita et virum repudiatam duxisse visum, non tam ipsius maritum, quam adulterum esse dicendum, a Servatore nostro demonstratum est » (MPG., 13, 1244-1249; R. 506; 507).

114. *Lactantius,* Divinae institutiones, l. 6, c. 23, n. 33 (MPL., 6, 720; R. 642). *Hilarius,* Comment. in Matthaeum, c. 4, n. 22 (MPL., 9, 939; R. 854). *Basilius,* Epist. 199, can. 48 (MPG.,

32, 732; R. 922); ep. 188, can. 9 distinguit inter legem a Christo statutam et aliquam consuetudinem, quam non agnoscit conformem legi Christi; non tamen dici potest, s. Basilium hanc consuetudinem approbasse (MPG., 32, 677). *Gregorius Nazianzenus,* Orat. 37, 6 (MPG., 36, 289; R. 1002). *Chrysostomus,* In illud: mulier alligata est legi (MPG., 51, 218; R. 1212). *Ambrosius,* Expos. evangelii sec. Lucam 8, 5 (MPL., 15, 1767; R. 1308); de Abraham, l. 1, c. 7, n. 59 (MPL., 14, 442; R. 1322). *Hieronymus,* ep. 55, 3 (MPL., 22, 562; R. 1351); epist. 77, 3 (MPL., 22, 691; R. 1352).

115. *Augustinus,* De adulterinis coniugiis, l. 1, c. 9, n. 9: « Quemadmodum igitur si dixerimus: Quicumque mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam duxerit, moechatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque moechos esse minime dubitamus; ita eum, qui praeter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, moechum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit et alteram duxerit, ab huius peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, moechos tamen esse cognoscimus » (MPL., 40, 456; R. 1861); l. 2, c. 4, n. 4: « Haec verba apostoli (Rom. 7, 3) toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis; sed manet vinculum pudoris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob hanc causam fornicationis » (MPL., 40, 473; R. 1863); cf. supra nr. 79 s.

Ad solvendas *difficultates* attendatur, thesim solum agere de indissolubilitate interna et quidem solius matrimonii, quod est sacramentum.

236.6
L 548
14992
LENNERZ, H.
AUTHOR
Sex Theses De Ordine & Matrimonio
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
Dawbsey
MAY 16
W. Huesman
Corcoran
Fleske
Boyle
STORA
1499